Nobili et Clarissimo
Viro Dn̄o Andreae
Pico, I.C. Sacrae
Caes: Maiest: Consilia-
rio fidelissimo

patrono et
amico singulari

dedit

Doct: Jessenius.
Pragae 18 Maij
An. 1606.

IOHANNIS IESSENII A IESSEN,

DE ANIMA ET CORPORE UNIVERSI,

ἀκρόασις περιπατητική.

PRAGÆ,

Typis Hæredum M. Danielis Adami à Veleslavina.

Anno M. DC. V.

ILLVSTRI AC GENEROSO, DNO. DNO. IACOBO

PREUNER, Libero Baroni in Stibing, Flædnicz, & Rabenſtein, Dynaſtiarum Ernaw & Kämerſtein Domino, Sacr. Cæſ. Maieſt. Conſiliario, Cubiculario, Supremoq; Aulæ Mareſchallo, veluti & Sereniſsimi Archiducis FERDINANDI Camerario, Conſiliarioquè, Domino ſuo gratioſo, S. D.

Doctor Ieſsenius, Eques Vngarus.

CONSTITVTVM omnibus iis eſt, Illu-

ſtris ac Generoſe Domine, quihumanâ mortalitate altiùs capita extulerunt, unicam Philoſophiam munus illud eſſe, cælitùs tributum hominibus, quâ perfecti ad benè beatèq; vivendũ, quæ ſumma votorum eſt, perducantur: Quod ità ſanè habet. Nam huius ductu ad ętherea illas ſedes, et admirabiles ſiderum domos, attollimur, Lunæ Solisquè deliquia, nec non reliquorum coïtiones, & ſeceſſiones,

nes, astrorum scrutamur; item quando, & è quâ Mundi parte Venti, Pluuiæ, Niues, Grādines, Fulgura, Tonitrua, Marium tempestates, Algores, Æstus, immineant, indeq; vel opimæ messes, vel tristes calamitates, præuidemus. Posteà è Cœlo in Terram per eandē reduces, Auium, Piscium, cæterorumq; Animalium, naturā inuestigamus; Plantarum similiter, Herbarum, Arborum, & partium ho-

rum omniũ virtutes : Quin Lapidum quoque & Metallorum, in Terræ viſceribus latitantium: Quorum equidem ſcientia ſingulorum, non jucunda tantùm & utilis, ſed ſummè neceſſaria humano generi; niſi vitam abſq; ordine noſtram ferri velimus, ignari partitionis dierum & noctium, menſium, annorumq́; curſuum, ſationis, & meſſis temporum. Quæ noſſe, Dij, quanti intereſt? Et ſimùl bruto-

rum ingenia, ſintne cicurabilia, an pertinaci feritate indomita: Et quæ in cibi commoditatem veniant, aut veneno exitioſa exiſtãt: Quo pacto Stirpes quoque ſalutares à lethiferis diſcernendæ. Adeò ab hac Magiſtrâ Doctrina liberalis omnis, omnis Hiſtoria, & Artium varietas, & elegans Eloquentia: Ab hac Oratorss, Imperatores, & Rerumpublicarũ Principes; utq; ad minora veniam, Mathe-

matici, Poëtę, Musici, Medici denique, tanquam ex omnium artium officinâ, profecti sunt. Per Philosophiam pristinæ humanitati restituimur, dum docemur Iustititiam, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, & in dictis factisq; Modum seruare & Constãtiam. Hac porrò alterâ illâ Ethicâ Philosophiâ mores boni in ciuitates, domos, & singulorum animos inuecti, vel potiùs domus & ci-

vitates exędificatæ, noſtriq́;
animi compoſiti, abſq; cu-
ius inſtitutis, pręceptis, neq;
res priuata ulla, non publi-
ca, nullus hominum cætus
perſiſteret; quæ, uti illa
corporibus medicina, ita
hæc animi affectibus reme-
dium præſentiſſimum; i-
mò, quod cardo rei eſt, Phi-
loſophiâ duce, rerum natu-
ram uniuerſam longé latèq́;
peruagati, ex apparentibus
hiſce, inuiſibilem Mundi
DOMINVM conuenimus,
quo

quo obtento vero, unicoq; bono, magno & excelſo animo mortalibus valedicimus omnibus. Sed cur laudes diſciplinę huius ad eum inſtituo, qui fructum ex poſſeſſione Sapientiæ habet jamdudùm uberrimũ, animum nempe, inter quaſcunq; etiam tempeſtatum procellas, tranquillum? De qua felicitate gratulatum Illuſtrem Generoſitatẽ Tuam accedo, idq; teſtatum huius libelli addictione cupio,

pio, quo, quicquid circa uniuerſam Naturam conſiderationis, explicatum, neruoſè magis, quàm prolixè. Hanc operam ſi Illuſtri Generoſitati Tuæ Doctiſquè probavero, enitar ſedulò, ut facie non diſſimili Ciuile Corpus Animatum, & quicquid eſt Actricis illius Philoſophiæ, in publicũ egrediatur. Vale. Pragæ Menſe Octobri Anno 1605.



Vertatur corpus, mens est Iessenia constans.

IOHANNIS IESSENII A IESSEN,

DE ANIMA ET CORPORE UNIVERSI,

ἀκρόασις περιπατητική.

De Formâ & Materiâ, sive Animâ & Corpore.

CAP. PRIMUM.

OMNIS FORMA NEcessariò presupponit Materiam, in quâ degat, quam in-

formet, & in quâ agat; unde sublatâ hac, evanescit & illa. Est Materia inter Ens et non Ens media, quæ per se nihil foret, & in nihilum abiret, nisi vigore Formę in rebus duraret; proinde Formæ adhærens ab eâ dependet. Per se verò Forma cum Materiâ manet. Materia cum Accidentibus, quæ Entis tantùm, nequaquam autem Entia, sunt, eam nacta convenientiam, ut quemadmodum illa Formæ, sic hæc Corpori adhæreant subiecto; sed ab his differt adhæsionis modo. Ma-
teria

teria Formæ tanquam pars Compositi iungitur; Accidentia verò Subiecti pars nulla, sed constituto tantùm superveniendo accidunt. Quin habent hæc etiam aliquam cum Formâ analogiam: Vt enim illa materiam in qua exigit; ita hæc subiectum in quo postulant. Verùm iterùm ab eâ differunt, eo, quòd Formæ beneficio Subiectũ sit, Formæq; cohæreat; Accidentia contrà beneficio Subiecti sint, ipsiq adhæreant; & proinde veriùs Formæ merito illud obtineant. Commune autem istud habent, ut ex

ipſis Compoſitum conſiat. Poſteà Componentium ſiquidẽ unũ Materia, alterum Forma ſit, & illud habitura mutuum, ut poſito nempe uno, dari & alterum oporteat, adeò ut Forma ſi ſit, adeße quoq; Materiam deceat. Quod ſane axioma de Accidentibus æquè ac Subſtantiis accipiendum. Quia verò Subſtantiæ priores Accidentibus, atq; per ſe; Accidentia autem poſteriora, et per aliud, æquißimum futurum, ut propoſitio illa propriè primòq; de eâ Formâ, quæ Subſtantia eſt; ſecundariò verò & im-

& improprie de alterâ, quæ Accidens, accipiatur. Ab Aristotele enim cùm doceamur, Substantiarũ aliam eße Formam, aliam Materiam, deniq; Compositúm aliam; certè magnitudines, & id genus accidentia, non illi Materiæ & Formę, quę Substantiæ sunt, erunt adnumeranda. Porrò cùm Philosophus binas ac ternas constituat substantias: Corpus & Animam geminas, Mentem, Appetitum, & Corpus trinas, has naturales, Mentem autem transnaturalem vocans, siquidem corpus materia sit

non anima; ſequetur Formam, quę Subſtantia eſt, Animam eſſe; & quocircà par de Animâ et Corpore ſtatuendum, quod paulò ante de Materiâ et Formâ pronunciatū: Ibi nempe Corpus, ubi & Anima. Quin & ſi Anima Subſtantia eſt, Corpus quoq; & Materiam Subſtantiam eſſe oportet; quandoquidem accidentia per ſe nequaquam ſubjiciantur ſubſtantiæ. Et ſi Corpus materia eſt ſubſtantiæ, quæ per ſe eſt ſubiecta Formę, et ob Formam, quæ ipſa anima eſt: conſequetur Animam eſſe ſubſtantiam,

& qui-

et quidem potiorem; atq; sic ob Formam omnem Materiam. Captus facilioris gratiâ ponatur caliditas forma in corpore calido, in quo partes omnes caleant æqualiter. Caliditatis huius causa partium omnium dicta forma est, non verò partis huius caliditas ob alterius partis caliditatem, quæ primò formam subeat. Multò verò secius se habet, quæ est velut superficies in corpore, aut linea in superficie, aut punctum in lineâ; harum etenim partes primo sub termino sunt, quarum est forma; cæ-

teræ verò non ità, sed partes sunt ob partes, non propter terminum primum & formam. Quamobrem hoc modo formatum non est similare; altero vero illo priore, similare, similiter in toto, quàm partibus, animatum. Atq; sic ex dictis constat, Omne corpus, quod sensu capitur, inprimis Elementa, esse illius beneficio, quod verè est Corpus, quodq; ob animam est, quæ dat ipsi esse: unde tàm Cœlorum, quàm Elementorũ, corpus, per animam in Naturâ futurum. Quòd si igitur in ambobus una

bus una ſimplex corporis natura eſt, & corpus, quâ corpus, (non autem quatenus hoc vel illud) ab animâ eſt, corpusq; eiuſmodi idem eſt cum materiâ, ut & eſt, eliciendum inde, Animam primò citaſſe Materiã Primã, hancq; primùm exiſtere per Animam, cum eaq; ad tertię Subſtantiæ, quæ Compoſitũ dicitur, conſtitutionem conſpirare. Sed quoniam aſſertum, inſuper ſenſuum teſtimonio convictum, dato corpore, dari & animam, neceſſariò quoque pares obſervatura conditiones. Itaq; neceſſitas

corpo-

Corporis unica cùm sit, non plures, Corporis etiam duntaxat unitas determinabitur: Et cùm omnia corpora unum sint Corpus, etiam huius Animam unam tantùm esse, dabit consequentia. Quocirca Cœlorum materia & corpus aliud nō est, (exceptis adventitiis quibusdam, de quibus infrá) quàm quod Elementorum. Eadem quoq; utrisque anima. Exinde constat, Animam formam esse primi requisiti Corporis, in Compositi exædificatione; Corpusq; primam Animæ materiam, cuius vi subsistit.

Vide S. August. lib. 4. de Civit. Dei c. 12.

In hoc

In hoc Corporis & Animæ coniugio primo, nullam unquam mutationem contingere potuiſſe, definitum eſto. Verùm quandoquidem in cunctis Naturæ partibus extenſum Corpus unũ ſit, unaq; Materia, & hæc quidem ob Animam unam, concluſiſſimum profectò erit, ubiq; locorum, & Naturæ partium, unicam ſolummodo degere Animam. Cæterùm pro nobilitatis ignobilitatisq; Corporum inter ſe differentiâ, eorundem etiam diſcrepat natura. Propriè enim corpus eſt, divinumq;, quod cœleſti corpori

pori maximè consentaneum: Elementa verò, quia ex corpore proprio, tùm adscititiis quibusdam constant, non certò propriéq; dicenda veniunt corpora. Quo pacto autē, Animâ datâ, dari quoq; Corpus, admißum, eodem etiā, posito Corpore, et quantitatem, et qualitatem, tum reliqua accidentia irrecusabiliter erunt concedenda, tribuendaq;, siue sint actu, vel potestate existentia, adeò ut tria ad Compositi fabricā concurrant, Anima puta cum Corpore, & duo hæc cum Accidentibus, quæ licèt

acce-

accedant posteriùs, iis tamen Corpus cariturum nunquã, quòd ubi magnitudo adsit, illic & situm, & ubi is præsens, relationem quoq; interesse oporteat. Quin et Anima, huiusmodi Subiecto, quod unum per se efficit, immersa, quodammodò & ipsa paßioni obnoxia redditur, itaq; corporascit, ut non minùs, ac Corpus ipsũ, numerum et dimensiones subeat, nec nõ à cæteris vim sustineat corporis qualitatibus. Tàm Forma omnis vilescit & sordescit Materiæ commercio, quæ aliâs libera, conta-

giiq; expers, viget, nitetq́; purißima. De Aristotelis prætereà sententiâ trinæ à nobis affirmatæ substantiæ, Mens, Appetitus, & Corpus, quarum posteriores mobiles, Mens verò immobilis & separata, movere tantùm, uti optimum & appetibile, nata, Animã, Appetitus nomine designatam, in sui desiderium pertrahit. Cùm verò impulsus omnis tactu mediante fiat, Mens movens contactu spiritali, hoc est, per speciem & imaginem ferit, eo planè modo, quo facies nostra figurat specula:

Vt enim hæc, non corpore, ſed imagine, attinguntur, ſic Mens ſimilitudine quâdam jungitur Animæ. Ex quo pateat, eſſe Animam, non ſolùm ſubſtantiam, corpori et menti intermediam, ſed & ipſiſſimam Naturam. Eſt etenim forma, imagine Mentis mota, quæ intrinſecùs per ſe movet, finitq;. Et quemadmodum ars & diſciplina in e-docto operantur: Sic Mentis imago rectrix eorum omnium eſt, quæ ab Animâ circa naturales res proveniunt. Hoc igitur pacto ſe habens, ſemper eſt Subſtantia ſubie-

cta & in Subiecto; dumq; intrinsecùs per se movet, & complet, gratiâ alicuius movet; quandoquidem Substantia movens in se cupit habere formam, quæ imago finis est, si velit movere, aliâs quietura. Motio isthæc, quæ ab huiusmodi movente proficiscitur, ut à neutra illarum semotis, sic ab utrisq; unitis perficitur. Quod sanè ex utrisq;, Formâ nimirū & Substantia, factum Compositum Motus & Quietis per se principium existit, propriè Aristoteli Natura dictum.

DE

DE ANIMALI MAGNO ſive Mundo.

CAP. SECUNDUM.

ANIMA ITAQVE MOdo, quo dictum, conformata, proprie Natura eſt, quid-vis in Compoſito efficere potens. Nam imago mentis, forma et documentum ipſius Animæ eſt, quæ, quanquam haud rationalis, decenter tamen, & quaſi ratiocinans, operatur, agitq;. Quoniam igitur Mens tres inter ſubſtantias primaria, optima, appetibilis, ſummusq; finis; alteram pariter, cui imaginem communicatura erat

ſuam, appetentem eſſe decuit: Hæc anima ipſa eſt, & ſecunda ſubſtantia, primæ illius miniſtra; Iſthæc quoque, ſui generis ſumma cùm eſſet, ne forte ocioſa degeret, commodo indiguit corpore coniuge, quod ſanè maximum, puriſsimumq;, aſſumpſit, cui ſubſtantiæ tertiæ nomen dedit, quæ ſimiliter opus abſolutũ, cuncta continens, immutabilis, immortaliſq;, euaſit. Ea, ex Animâ et Corpore ſubſtantijs ſummis ſiquidem exactiſsimè conſtructa, Animal perfectum maximumq; ſit, neceſſe eſt, cuius actiones in-

nes ingentes, variæ, stupendæq́;, qualis apparet Mundus: Qui singularis tantùm aßerendus, eò, quòd perfectißima nequeant eße plura; compertumq́; sit, in omni specie, cui indi-vidua insint, nunquam eorum duo æquè existere perfecta. Est idem & finitus, quoniam ut animal vitam agere debebat, quæ infinito corpori competere non poterat: Et quò simul immortalis perduraret, continuò, perpetuòq́;, moveri oportebat; quod non nisi circulari conversione licebat: proinde figurâ, cui,

motus hic unicè conuenit, sphæricus abiit. Consistentiæ itaq; & actionis ratione, finitæ, infinitæq; potentiæ factus est particeps; finitus magnitudine, infinitus figurâ. Sed dùm sic rotatur, & cursu quidem citatissimo, ipsius partes quædam mediæ in diuersum abeunt. Datâ enim circumferentiâ datur & centrum; & sic aliud quoddam imum, quoddam & summum; quorum hoc dignius, ad agendum mouendumq; expeditius; alterum abiectius, ad quiescendum & patiendum aptius.

Quocircà ima pars motu illo perenni privata eſt, eiusſq; loco motum rectum indepta, qui à quiete in quietem, lineæ fluentis inſtar proficiſcitur, & eo pacto, ut partes nobiliores, primis qualitatibus prodromis, à centro, obſcuriores ad centrum, impellantur. Vnde patet, in hoc Vniverſo cùm circularem, tùm rectum, geminum exſiſtere motum. Quin & pars ſuperior illa excellentior, quæ Cælum dicitur, motus ſubit diverſitatem. Nam ex octo partibus, quæ Orbes ſunt, ſeptem nobis viciniores,

niores, ſingulæ binis volvuntur converſionibus; unâ remotiſsimo Orbi communi & ſimilari, alterâ contrariâ & ſingulari, quibus anxiè occupantur Aſtronomi. Neque tamen, ob hanc diviſionem, vel toti, vel parti, ullum corruptionis, interituſquè, periculum metuendum; ſiquidem ſublatâ Mundi formâ, quæ ſola et unica Anima eſt, materia illicò etiam evaneſceret, ipſaq; Natura in nihilum. Qua de re, pars cùm nulla corrumpatur, nulla quoq; generatur, quãdo niſi ex cæterarum corruptâ aliquâ

quâ hanc restaurari eveniret. Atq; hæc, quæ partium ratio est, eadem meritò & totius. Quanquam igitur Animalis huius perfecti seu Mundi pars nulla, secundum substantiam, perpeti potest corruptionem, nihilominùs in actione infernorum horum, corruptionis quippiam obrepit, propterea quòd hæc regio conversione & figurâ usquequaque certâ non sit prædita. Nacta tamen hæc privatio facultatem recuperandi aliquid restaurationis, beneficio qualitatum, quæ Lumine, Motuq; su-

periorum

periorum corporum continuo influunt Elementorum principia. Quod verò eas attinet mutationes, quæ dubiæ ſunt, & variæ, haud in cenſum Mundi partium veniunt, ſed earum ſolummodò rerum ſunt, quas in Aeris regione ignobiliori, & fieri, & eſſe, contingit, de quibus poſteà. Porrò vaſti huius & omni corpore conſtantis Animalis Anima, uti in univerſam molem ipſius diffuſa, eâq; terminata, ità & cum eâdem, quà corpus, quà motum, diviſa eſt, Mentis imagine duce, cuncta in

melius dirigente , cui visum est præstantius, Animam muneribus obeundis pluribus destinare. Est autem Mundus superior, octo in partes diremptus , invicem sese continentes , quibus Astronomi, quò faciliùs Apparentiarum ratio nes redderent, Planetaribus Orbibus , alios excentricos, & nonnullis insuper epicyclos, adiecerũt. Demùm ima Mundi portio, quadrifariàm scißa, & in tot Elementorum numerum redacta, quæ, uti Cœli sic hæc invicẽ sese continent, Cœlo continua, ipsiusq; influxus capacia.

DE MAGNI ANIMALIS Membris, ſive Mundi Partibus.

Cap. Tertivm.

TOTI OMNI PARTES ineſſe par eſt. *Equidem hactenùs de Animali uno, quod ex totâ magnitudine, & Animâ totâ conſtat, egimus. Nunc deprehenſâ in ipſo, tàm ſecundum magnitudinem, quàm ſecundum Animam, diviſione, progrediendum. Vbi adeſt diviſio, ibi continuitatis ſolutio. Diſſecto igitur Mundo, duodecim ipſius effectæ partes ſunt, quarum*

quarum octo in supremâ regione, quatuor in infimâ existunt, earumq; singulæ, ut à cæteris sunt discretæ, ità sibi continuæ. Hæ, cùm partes Animalis primi sint definitæ, in animalia plura particularia evasêre, perinde ac si vitis sarmentum unum in plures particulas foret divisum, quarum singulæ ex se ea agerent munia, quæ sarmentum integrum erat facturum. Supernorum autem Corporum animatorū unumquodque, perpetuò victurum, inevitabiliter orbiculari figurâ fuit

donandum. Orbi enim nihil contrarium, & carens contrarietate, caruit ad corruptionem ratione. Nam contrariorum ratio intermtiva est. Quod cùm ità habeat, caruit violatore; siquidem violentia omnis à contrario. Mistionis quoque expers, quoniam & violatoris: mistio namq; omnis à violentiâ. Nec insuper in eo potentia, privatiove, alterius formæ; quamobrem simplex eorum corpus terminatum est figurâ optimâ, absque potentiâ & paßione; obq; id perfectum, & unà etiam,

am, propter munera divina, divinum; in quorum ſingulis ſingulæ Animæ partes decentem portionem Materiæ & magnitudinis obtinuerunt. Vnaquæque etenim Anima, eam ſequitur magnitudinem, quæ per ipſā ſubſiſtit. A magnitudinis igitur conditione, Animæ quoque portionem atq; præſtantiam meritò metimur. Quapropter Octava Sphæra, quia ampliſsima omnium, & celerrima, Animam omnium continet maximam, cui neceſsariò quoq; Mentis imago ineſt ampliſsima. Cùmq; tria

genera corporum sint, singularis his inest magnitudinis proportio. Nam qualiter se habet altitudo corporis elementaris, ad profunditatem totius corporis planetaris, ita altitudo Corporis planetaris ad profunditatem Octavi orbis, quo magnitudo huius, mox exponenda, conjicitur incredibilis; id quod sane trium horum Corporum poposcit cùm decentia, tùm summa Mentis imaginis præstantia; quandoquidem indignum fuißet, tantam divinitatem humili arctoq; conclusam; quin decebat,

maxima

maxima non nisi in maximo, exilia contrà loco habitare angusto. Certè Stellarum & magnitudo & numerus, qui in Orbe octavo spectatur frequentißimus, præsentiam imaginis diuinæ testatur summam, quæ in Orbibus reliquis, singulis tantum stellis conspicuis, multò arguitur parcior.

DE CORPORVM CÆlestium Animâ, sive Lumine.

CAP. QVARTVM.

STELLARVM SYSTEMA *corpore densato constat divino,*

no, quæ nobilißimæ cuiusdam sedes Animæ, & qualis in animalibus cor, è quo uti se, tanquam fonte, vitæ spiraculum in artus effundit, sic è Stellis, veluti domicilijs spendidißimis, Lumen longè latéq; profluit, magnâ cùm jucunditate, utilitateq;, Naturæ. Posteà quoniam circa propria convolvi debebant centra, mole evaserunt rotundâ: eâq; ingenti, quò, siquidem Lumine acturæ, copiosiùs illud jacerent, & in infinitum propè profunderent, sensumq; moverent. Nec solùm Stellæ O-

Ctavæ

ctavæ Sphæræ ſingulæ maiores Terrâ ſunt, adeò ut ipſis collata tanquam atomus quidam ſit inſenſibilis, ſed etiam cæteris Planetis, adeoquè Sole ipſo, exiſtunt grandiores. Minor enim longè eſt diameter Orbis, quo Sol fertur, quàm ſemidiameter octavæ Sphæræ illius ſtellatæ, ſecundum datam nuper ſuper Corporum proportione hypotheſin. Poſteà cùm Sol in ſemidiametro ſui Orbis pedalis tantùm magnitudinis noſtris obiiciatur oculis, certè diametro integro appareret admodum exilis, unde in lon-

in longiore, quàm diametrus sui Orbis sit, tractu prorsùs evaderet insensilis, id quod Firmàmenti stellis non contingit. Sunt & præterea, quæ Fixæ dicuntur, divinitati magis viciniores Sole, qui insuper & ità agit, prout afficitur à Stellâ erroris experte, quam subit. E quibus, Solem, quâlibet illarum Stellarum quantitate & dignitate minorem eße colligitur, quarum exercitus licèt nobis videatur cõfusus, non temerè tamen est dispositus, sed infinitorum variorumq; in Naturâ effectuum causâ institutus,

tutus, quorum ſinguli quanquam nobis ignoti, cenſendum tamen eas, cùm potentes cauſæ ſint, effectus producere præſtantiſsimos. Equidem Stellæ omnes Luce ſunt preditæ, quæ viſilis earum affectio eſt, genita è ſpecie Corporis, maximè perſpicui, multùmq; denſati, itidem ab excellenti Animâ ſuſtentati. Huius lucis vis & profluxus Lumen & Fulgor eſt, Terram percurrens, & uſq; ad terminum diametri Orbis Stellæ cuiusq; pertingens, quo cum Animæ imago, unà cum ipſi inſitâ Mentis imagi-

imagine, quaqua-versùm effertur. Huius Luminis bono horrendæ tenebræ propulsantur, visus visiliaq; actuantur, perficiunturq́; qui sensus, uti animalibus inest nobilißimus, ità homini scientiæ & sapientiæ doctor est primarius. Postmodùm Luminis istius operâ frigiditas, humiditas, quæ Terræ et Aquæ insunt nimia, egregiè submoventur; quibus excesßibus remotior Ignis imperare sufficienter nequivit. Denique omnium, quæ supra Terram, in Terrâ, Aquâ, & Aëre consistunt,

exur-

exurgit generationis autor, ipso-rum Animam è somno quasi ex-pergefaciendo, & ad agendum (veluti patebit ex sequentibus) impellendo. Insuper Luminis isti-us beneficio mutuâ luce coruscant Stellæ, noctisq; nesciæ in perpetuâ clarißimâq; degunt die, eâ quoq; invicem sese cognoscunt penitiùs, & intelligunt intimiùs, quàm re-liqua animalia voce, aut homi-nes prolocutione. Stellæ porrò illæ, quæ æqualiter à Polis distant, tan-quam in Circuli centro sitæ, æqua-les ad extrema jacientes radios,

per regiones Mundi omnes, generationis omnis, ubi modò hæc alterius externi interventu non prohibeatur, existunt principes. At quæ in Polorum versantur alterutro, vim suam ad terminum tantùm, haudquaquam ad Vniversum, extendere queunt, hoc est, ad eam duntaxat lineam, quæ utrique interstat, quæ & limen est potestatis ipsarum, atq; imperij. Qua de causâ toti quædam Mundo communia, quædam huius vel illius partis tantùm peculiaria. Sed & hoc loco haud prætereundum,

dum, quod moneri potest commodè, variorum nempe in Naturâ effectuum causam, actionis diversitatem esse, quæ licèt â similibus Substantiâ proveniat Agentibus, agendi tamen modo plurimùm discrepat. Actio enim omnis, (paucis nos expediamus) & vicissim Passio, sive hæc in materiâ, sive sensu perpetretur, per lineas, angulos, & figuras obitur. In sensu utplurimùm Operatio spiritalis, in materiâ materialis oboritur. Emanans ergò ab Agente naturali virtus, aut brevi, aut longâ fluit lineâ.

neâ. Si breviori, magis futurâ activâ, quandoquidem Paßum Agenti proximius; Sin longiori, tunc imbecillior; quòd attingendum distat remotius. Est enim in omni actione & paßione contactu opus. Cùmq; Natura amet compendia, grata ipsi admodum recta linea, quia omnium brevißima, quia carens angulo æqualißima; unde maioris unitatis, & hinc virtutis; fortiùs enim operantur unita. Et quia vela ventis dedimus, percurrendum hoc mare est. Linea recta aut per angulos æqua-

æquales, id eſt, perpendiculariter cadit, aut per inæquales. Si ad angulos æquales, pollentiori agit robore, propter tres nunc enumeratas rationes. Talis autem, & cadens taliter, ſuper corpus planum, rectos, ſuper concavum, acutos, ſphærico verò incidens obtuſos efficit angulos. Quando igitur ad angulos non ſolùm æquales, ſed etiam rectos incidit virtus, propter æqualitatẽ, uniformitatemq́;, evadit robuſtiſsima. Quòd ſi verò linea non recta, ſed veniat inflexa, eò quòd non per-

 fectè

fectè circularis, (neq; , si foret, Agenti naturali ullo pacto deserviret, quòd potiùs circuli utatur diametro, gratiâ, uti modò prolatum, brevitatis) sequetur indubitatò, curva sit licèt, habere tamen angulum hanc lineam; id quod gemino consequitur intercedente medio, in quorum primo super lineas rectas virtutis fiat multiplicatio, & iterum super alias in secundo; quod sanè duobus modis accidit, quando nimirum vel corpus densum nimiùm, sensu fortè judice, virtutem transitu prohibet, lineamq;

amq; reflectit; vel corpus naturâ rarum transitum virtuti permittit. Priori viâ corpori denso irruens virtus ad angulos æquales, vel inæquales cadit. Si perpendiculariter, tunc eâ vi remeet oportet, quâ venit, id est, ad eosdē angulos reflectatur. Angulum enim æqualem linea constituit reflexa. Sin ad angulos inæquales feratur, per id recurrit iter, quo angulum æqualem cum superficie Corporis resistentis angulo efficere posit. Atq; sic dupliciter cùm fiat reflexio, ea, quâ virtus in se recurrit

currit armatior, viâq; propriâ, censenda firmior; alterâ deviante æstimatâ imbecilliore. Quanquã & circa reflexionis modum alia atq; alia ratio est. Transiens per corpus virtus magis debilitatur; à solidis verò & politis radiis invitis reflexio fortior; ab asperis, quia dißipatis, imbecillior. Omnium autem validißima ea, quæ fit à concavis; quòd illic radii concursu uniantur, seciùs re se habente in planis & convexis. Verùm, ubi Corpus obvium virtutis non remoratur transitum, ibi, incidens perpen-

perpendiculariter , radius recto tramite incedit fortißimus. Is verò, qui cadit in angulos inæquales, aberrat à tramite, quem secutus est in priori Corpore, & adhuc teneret, si foret medium uniforme. Hæc deviatio radii dicitur fractio; fitq; dupliciter. Quando Corpus secundum densius primo est, frangitur radius à dextris; sin subtilius, à sinistris. Est autem virtus, quæ lineâ fractâ vehitur, fortior eâ, quæ ducitur reflexâ. Illa enim parùm à recto abest ingreßu; hæc plurimùm in oppositam partem re-

tem re-

tē recedit: Et à dextris fracta, fortior, quā quę à sinistra; eò quod illa magis attingat perpendicularem. Tantùm de Lineis & Angulis. Restat, quod paucis, de Figuris. Ad multiplicationem equidem virtutis & continuationem, Figurâ opus sphærica est; quòd ad omnes positionis differentias ęqualiter sese habeat. Sed naturalis actionis gratiâ necessaria pyramidalis figura; siquidem virtus incipiat ab unâ parte Agentis, & desinat in alteram Patientis. Cùm igitur non sufficiat ab unâ in unam

partem

partem istud fieri, sed necesse sit omnibus punctis Agentis, ad puncta Patientis omnia, impetu perveniri, peroportunè istud figurâ obitur pyramidali. Nam puncta Virtutis Agentis à singulis partibus concurrunt, & aggregantur in cono pyramidis, ideoquè omnes fortiter possunt agere in obviam partem Patientis. Quamobrem infinitæ pyramides ab unâ superficie Agentis prodire possunt: Suntq; coni tot, quot pyramides, caduntq; ad diversa patientis sui puncta undique, valentq; ad unam par-

unam partem infinitè exire: quarum una brevior, longior alia. Illæ, quæ citra diversitatem se habent æqualiter, ex parte sui quoque agunt æqualiter, nisi fortè à recipiente obveniat varietas. Si verò ab eodem Agente una alterâ exeat brevior, dignum quæstione, quinam conus pyramidis agat præclariùs. Quia igitur Conus, quò minùs à suo distat principio, agit fortiùs, brevior pyramis magis statuenda erit activa: Ideoq; efficacioris virtutis, quàm longior, æstimanda. Quapropter Pyramide

ramide breviore patiens magis agenti coniunctum cùm sit, intensiùs quoque alterabitur, & consummatiùs. Sed sunt præterea Figuræ regulares, Mundi partibus accommodatæ. Confirmavit namq; Mundi Opifex, qui anteà nullus fuerat, Vniversi ordinem Pyramide atq; Cubo, Octaëdro, & Icosaëdro, & præter hæc omnia Dodecaëdro. Ignis pyramidali Figuræ respondet, quòd penetrationi accommodatißima sit; quòdq; paucioribus triangulis prædita, rarißima: Octaëdra verò Aëri, uti

Icosaëdra Aquæ analoga, & Terra Cubo, tanquam Elementorum solido, maximequè firmo: Dodecaëdro autem Universum applicavit Natura; nam duodecim signa in Zodiaco: Adeò tàm verum est, quàm certum, quod dicitur, DEum & Naturam γεωμετρεῖν. Quoniam igitur (ut rem concludamus) cælesti Lumine inferiora hæc cuncta illustrantur, & illuminata speciem suam quoquoversùm refundunt, dubium extra omne, distinctiùs illiùs illuminati speciem per illos radios, qui recti ab illuminante ve-

te ve-

te venerunt, recurrere, quàm per quosvis alios, qui versus illuminans non tendunt. Proinde, Luminis huius munere, inferna quæ sunt, quæq; fiunt, & geruntur ab hominibus, omnia, à Stellis, quas infrà sensu præditas esse evicturus sum, cognoscuntur. Cùm Stellæ igitur sancta quædam Animalia sint, vel eorum saltem corda, bona amabunt, odio habebũt mala; Et proinde, ut homines probos benevolentiâ, ità improbos indignatione prosequentur; qui affectus, cùm futiles inanesquè non sint,

mali quid, vel boni, utilitatis, aut damni, allaturi. Deos itaque, vel horum ſedes & domos, gentilitas cùm crederet, factum, ut divino cultu illas venerata ſit.

DE MVNDANI CORporis Spacio.

CAP. QUARTUM.

OMNE LVMEN CVM *Finitæ conſtet eße potentiæ, perq; intermedium Corpus proficiſcatur, neutiquàm Stellarum Lumen Mundi ſuperficiem egreßurum. Cùmq; Stellæ ſimilares ſint,*

aßidueq;

aßiduèq; circa propria contorque-antur centra, quantum erga nos mittunt Luminis, tantundem à tergo, versus Mundi superficiem, jaciant, æquum erit: Quare, Luminis huius profusioni regionis illius spacium respondeat, par quoque futurum. Corpus enim illud supremum, gratiâ melioris eße, Stellarum Lumine collustrari voluit, quod ad extrema illius pertingere debuit, & illo, tanquam termino circumscribi. Tantum igitur ultra Stellas Corporis sit, neceße est, quantum Lumina ea-

rum extendi poßunt; & quousque hæc extendi queunt, tantundem Corporis, id paratum suscipere, dari oportebit. Quapropter Stellæ nullæ in extremâ Cœli superficie, aut prope hanc, (ne vis agentis paßum excedat) futuræ, sed potiùs omnes, longißimè ab hac distantes, ad superficiem Octavi Orbis infernam erunt collocatæ. Ab imâ verò ad extimam superficiem Orbis Octavi, sive Corporis tertii, tantum spacii interest, quãtus est Luminis mensus, qui à magna Stellarum aliquâ ad ultimum

usq; illius terminum effunditur. Sequetur ergò, siquidē Stella quâvis Orbis sui parte potior sit, omnē virtutem & dignitatem Octavi Orbis, & Stellarum, esse in eâ regione, quæ ad infimam vergit superficiem; quâ de causâ etiam locum hunc Poëtæ Iovis domum dixerunt. Superior verò Orbis regio extima, ignobilior multò est, & longè ignobilissima, cùm non Ente continua, & quasi in nihilum evanida. Nam Lumen, quod ad supremam superficiem defertur, illustrationis solummodò gra-

tiâ exigitur: Lumina verò, quæ nos erga per Centrum effunduntur, & ad ejuſdem ambitus oppoſitas partes pertingunt, non ad illuſtrandum tantùm, ſed ad cognoſcendum pariter Corpora divina requiruntur. Vnde videre facile eſt, quomodo Octavi Orbis partes ſupremæ, infernæ miniſterio deſtinatæ, ipſiusq; Materia potiùs, quàm Forma ſint: Id quod equidem jamdudum mihi perſuaſit, Stellarum novarum, vel potiùs Ignium fatuorum Materiam, non ex hoc anguſto Elementorum

regno,

regno, ſed, cùm ingentia ſint Corpora, ex ampliſſimo illo Mundi Corpore, Stellarum verarum potentiâ attractam, earumq́; Lumine animatam, petendam; de quo explicatiùs alibi Suppoſito. Porrò è præmiſſis iſtud quoque evidens, Nonum Orbem, adeoq́; alterum Zodiacum, non dari, præter eum, qui in regione ſtellatâ et Octavi Orbis parte inferiore, nobisq́; viciniore. Quin & iſtud quoque par eſt, ut inſint huic Orbi Stellæ omnes, inprimis maiuſculæ; quandoquidem, per mutua Lumina cognoſcibi-

noscibiles, Lumen suum usq; ad oppositos Orbis, in quo sunt, diametri terminos effundant, hoc nimirum pacto, ut Stella, quæ in primo gradu Arietis est, ad Stellam usque, quæ in primo gradu Libræ existit, radium proiiciat. Postmodùm cùm in Octavo Orbe non modò magnæ Stellæ, sed his aliæ minores, rursumq; plurimæ nonnullæ longè hisce minores, deniq; omniũ quædam minimæ appareant, istarum situs sublimior est, quàm mediocrium: Et quanquam altiùs grandioribus habitent, Octavi tamen Or-

men Orbis superficiem non transcendunt, ut ut angusta sit hæc stellata regio. Mediocres autem, & stellarum minimæ, ideò maioribus minores effectæ, ne, si pares evasissent, Lumina earũ ulteriùs, quàm superior Cœli fuisset superficies, effluxissent. Apparent nobis mediocres Stellæ, nonnunquam plùs, nonnunquam minùs, quàm est dimidium magnarum; Minimæ verò videntur, veluti mediocrium dimidium, & aliquantò minùs: quibus quodammodò Terra et Luna respondent. Nam etsi

Luna

Luna Terrâ minor ſit, maior tamen eſt, quàm Terræ dimidium, Luna autem nobis cubitalis apparet; quare parem mediocris Stella ad magnam rationem habebit, ità ut, ſi in ſuperficie magnæ alicuius degeremus, eâdem proportione mediocrem aſpecturi ſimus: Nunc verò eâ quantitate apparet, quâ nobis cerneretur Luna, in Terræ Centro collocatis. Ex quâ ſanè analogiâ conſtat, maximam Stellam à minimâ diſtare tanto ſpacio, quantum eſt à Centro Terræ ad Lunæ concavum, eamq; eſſe

ſtellatæ illius Sphæræ Octavæ latitudinem. Preterea, quia dictum, Stellas magnas ad oppoſitum diametri ſui Orbis punctum Lumen emittere, tenendum, non eò uſq; tantùm, ſed quoad regionem ſtellatam totam ſuperet, illud emanare; nam debebant ſeſe Stellæ omnes mutuò cognoſcere, intelligereque. Eſt autem ſpacium infimi Orbis Octavę Superficiei, uſq; ad ipſi oppoſitam, tantum, quantus eſt tractus ab eâdem infimâ incipiens, rectàq; tranſiens per ſeptem Planetarum Orbes, Elementa, ac Cen-

trum Terræ, quousque procedendo iterùm diviserit Elementa, ac septem Orbes, & præter hæc, etiam superaverit tantum spacij in contrapositâ Octavi Orbis parte, quãtus est Elementaris regionis semidiameter. Vnde patet, regionem stellatam in mediá Naturæ mole collocatam; quod sanè optimâ ratione factum, quia nimirùm hæc reliquis imperet Mundi regionibus, atq; sic deceat ipsam, veluti rectorem, medius incessus.

DE ELEMENTARIS Regionis Conditione, sive Naturâ.

CAP. QUINTUM.

QVEMADMODVM IGItur in Cœlesti regno pars Animæ maxima & liberrima consedit, sic in regione Elementari minima eius portio, et plurimùm hæsit imperfecta. In Elementis enim unicum duntaxat ipsius munus remansit, quo Materia & Corpus in rebus permanet, atq; sic Substātia tantùm una constitit, quæ, cùm, ob maximam distantiam, cœlestis conditionis particeps fieri non potuerit, nō certâ etiam figurâ definiri, liberâq; actione frui valuit,

luit, sed susceptis solummodò primis Qualitatibus, quasi vinculis constricta oppressaq; mansit; quibus etiam eò fertur ducibus, quò illæ impellunt; nunc rectà moventur ad aliud, nunc in alio quiescunt. Atque hinc evenit, ut, cùm infernæ huius regionis ambitus Cœlesti Corpori subsit, ab eâ quoque pars substantiæ Elementaris nobilitetur, quæ etsi, uti Cœlestis, moveri nequeat, Cœlum tamen versus, quasi à vilitate se vindicatura, tendit. Alterius verò, quæ à Cœlo abest longiùs, Elemen-

taris Substantiæ pars tota obscura est, &, quandoquidem Cæli parùm conscia, optimum fugiens, ad Centrum tendit; hinc utræque contrarietatem quandam subeũt: Illa, quę à Centro movetur, calida, levis, tenuis, et pellucida est: Quę ad Centrum delabitur, frigida, gravis, crassa, atq; opaca evadit, & utraque aliâ insuper afficitur adversitate, nempe Siccitate, & Humiditate. Et sic è Corpore, Materiâve insensibili, Animâquè, item Caliditate & Siccitate, prima illa genita est Substantia, quæ

IGNIS *dicitur: Ex eâdem quoque Materiâ & Animâ, tùm Frigiditate & Siccitate, altera extitit, quæ ima jacet, &* TERRA *dicitur: E quâ similiter Materiâ Animâquè, item Caliditate et Humiditate, tertia emersit, quæ* AER *appellatur: veluti & de eodem Corpore & Animâ, unà cum Frigiditate & Humiditate, producta quarta, quæ* AQVA *nuncupatur, Substantia. Elementa hæc perfectiora, ut extremorum et priorum illorũ sunt intermedia, sic Qualitate alterâ extremis sunt contraria.*

ria. Sed cùm demonstratum sit, omne Corpus beneficio Animæ subsistere, Elementare quoq; Systema non nisi Animæ interventu, quæ Materiam stabiliat, cum dictis componetur Qualitatibus. Hujusmodi Qualitates, junctę Substantiæ, primò animatæ, illam in quatuor dictas partes, specie differentes, distinxerunt, adeò, ut nec animatæ putentur, neq; dicantur; quandoquidē ipsæ, & solæ, uniuscujusque compleant substantiam, quà sunt talia Corpora; atq; hac quoque ratione Formæ Elemento-

rum ſubſtantiales exiſtunt. Objicientibus verò hîc uſurpatiſſimum illud Logicorum: Subſtantiam nulli accidere; & id, quod accidat, Subſtantiam non eſſe; cum Ariſtotele reſpondemus, idem ineſſe pluribus Prædicamentis poſſe, ſed non ſecundum idem: quocircà qualitates, quatenùs tales, & contrariæ, ſunt, tùm magis & minùs capiunt, accidentia eſſe, quatenùs verò ſubſtantiales, & non contrariæ, nequaquam accidere, ſed partes Subſtantiæ manente. Quare hoc ſenſu rectè pronun-

ciatum

ciatum à Philoſopho, Ignem, ut Ignis, & Terram, quatenùs Terra, nullam admittere mutuam affectionem; propter inhærentem tamen unicuique contrariam qualitatem, Activa evadere & Paßiva. Ortæ ſunt Qualitates primæ, à Lumine ac vi quâdã Stellarum occultâ, Cæliquè motu; à Privatione item perfectionis ſupremæ. Privationem enim hanc ſecuta eſt Potentia, in ſubiectâ quieſcenteq; Subſtantiâ. Potentiam deinde et quietem patientia: nam non datur niſi in potentiâ et quieſcentiâ Paßio.

Eſt au-

Est autem nulla, nisi Privatione præside, Potentia. Citatissimo Cœli motu in extremis partibus Caliditas & summa Siccitas gignitur; quibus natis unà & Ignis genitus est; id quod manifestè in duorum Corporum attritu, magnoq; Lumine, cernitur: ubi primùm desiccari ac calfieri, demùm ignescere corpora occipiunt, et inflammari. Etenim in motuum genere, cùm Localis prior naturâ sit Alteratione, Alterationis autem actus qualitas, par erat, si qualitas esse debebat, loci mutationẽ præivisse.

Hoc

Hoc itaq; modo extremas partes in Ignem conversas, insecuta est Amplitudo, Tenuitas, Levitas, & Pelluciditas, quæ omnes Ignis proprietates sunt, & Qualitates quasi primæ. Partes hæ extremæ, sic igneæ factæ, aßiduoq; agitatu circumvectæ, portiones quoque Elementaris Substantiæ medias impulerunt, illasq; Caliditatis similiter participes effecerunt, cùm ex se, tùm mediante quoq; motu. Sed Ignis, quò à Cœlo abit longiùs, eò movetur segniùs, & effæminatus mollescit. Qui sanè motus mediocris

diocris

diocris Qualitatem peperit mollem, quæ Humiditas summa est, ac alterius planè Speciei, evasit Elementaris Substãtia humida atq; calida, quam Aërem dicimus, cui etiam coniuncta Tenuitas, Amplitudo, Levitas, & Transluciditas, multò tamen quàm Igni debiliora: Sicuti & Aëris spacium Ignis vastitate longè minus. Est Aëris tractus in tres regiones distinctus, in Igni vicinam unam, &, quæ Terræ proxima, alteram, demùm in eam, his intermediam. Harum suprema, eò, quod Igni proximè subiecta,

ſubiecta, calidiſsima, media verò & infima, ſiquidē Ignis illìc elangueſcat virtus, Frigiditatis, quæ Caloris Privatio eſt, ſuſtinet imperium, quæ et ad Centrum Vniverſi uſque extenditur. Quæ autem huic Centro proxima pars, Elementaris Subſtantia, non modò eandem ſentit Frigiditatem, ſed unà & Siccitatem; nam motu omni, quo Humiditatem generari aßertum, privata. Ex hiſce Humiditatis & Caloris, Privationibus geminis, nempe Frigiditate & Siccitate, genita Terra eſt,

quàm Naturam infimam ſecuta Denſitas, Arctatio, Gravitas, & Opacitas. Porrò, quià infimæ regionis Aër, non tantùm Terræ attingit ſuperficiem, ſed etiam ipſius inteſtina ſubit, depoſitâ quidem Qualitate primariâ, putà Caliditate, Humiditatis tantùm ſervans, à Denſitate & Frigiditate Terræ colliquatur, in eamq; convertitur; veluti id in locis ſubterraneis, marmoribusquè, guttas ſtillantibus, conſpicuum: Quâ de causâ etiam montium plurimi frequentia progignunt flumina, immò perſæ-

persæpè inexpectata diluvia. Hęc Aqua quartã constituit Substantiam Elementarem, & cum Terrâ, quam continuò fermentat, globum. Ad quem cùm radium suum Sol jacit, ob illius densitatis renisum, refringi contingit; unde ima Aëris regio incalescit; mediâ, quòd eò is non penetret, torpente, algenteq́; quæ frigiditas demùm multiplicium Meteororum causa. Atq; hoc pacto se habet Qualitatũ Elementarium productio, quibus stabilita, distinctaquè, quatuor Elementa; quæ licèt hoc includantur

numero quaternario, in binarium tamen facilè redigi poßunt, atq; cogi in duas, veluti Genera, Naturas. Duo namq; Calida sunt, Ignis nempe & Aër; totidem item Frigida, putà Aqua & Terra: Illa Levia, Tenuia, atq; Patentia; Hæc Gravia, Densa, Arctataquè. Originem Qualitates hæ habent duplicem; unam Orbis Lunaris Concavum; Vniversi Centrum alteram; versus quæ loca, tanquam principia, quęlibet tendunt, surgendo, ruendoquè.

DE

DE SVBLVNARIS ANImæ, sive Qualitatum, Imperio.

Cap. Sextum.

QVALITATIBVS HIS *itaq; natis, primò Caliditati & Frigiditati, Humiditati et Siccitati, secundò Levitati & Gravitati, Mollitudini & Duritudini, Lentitudini & Rigiditati, Lenitati & Asperitati, Tenuitati et Craßitiei, Raritati & Densitati, tanta permißa Potentia est, ut quamplurium, à Naturâ et Arte effectorum, operum Facultates*

 consti-

conſtituantur principes , eam à Cælo, cuius apud nos vicariæ, in- deptæ. Hæ Qualitates primùm oppreſſerunt & ligarunt omnem, Lunæ ſubjacentem, Subſtantiam; quæ, ex Animâ & Corpore initiò compoſita, cùm fuiſſet unica, eam in quatuor Corpora divulſerunt, ſpecie differentia; poſteà, variis ut ferrentur motibus, diverſiſq; lo- cis quieſcerent, impulerũt; demùm effectus omnes, in Sublimibus & Subterraneis obſervabiles, inſu- per, quæ in Animalibus & Stir- pibus deprehenduntur, innumera

veluti

veluti Principia, produxerunt. Verùm enim verò, cùm duæ sint in Naturâ Res principes, Substantia & Qualitas, Animę & Qualitatum divisa est jurisdictio; Illius in Cœlo maxima, Harum quoque eximia in Sublunari regione Potentia. Qualitates verò Primas pollere vi ligandi et arestandi animatam Substantiam, non Semina tantùm, sed & Stirpes ipsæ, tùm perfecta, imperfectaquè, attestantur Animalia. Nam Stirpium semina à Calido & Sicco comperiuntur vincta, quæ in Terram

ram Frigidam et Humidam sparsa, brevi soluta, germinant. Et Pennatorum ova, quia Frigido ligata, nisi incubentur, aut in fimum, arenamq; calentem, defodiantur, vel furno immittantur tepido, haud excluduntur. Animalium semen tantoperè nonnunquam à Frigido opprimitur, ut infecundum foret, nisi à menstruis calentibus exciperetur. Stirpes quoque hyeme ità vinctæ, ut vitæ expertes appareant; imò Animalia non pauca, cadaverum instar, stupent & rigent brumâ. A

Frigido

Frigido profectò teneri Animantia, vel Somnus unicè arguit, quem ubi Calor solverit, sensu spectantur præstantia. Humiditas, quæ Infantiæ inest copiosior, multis eam ineptam reddit actionibus; veluti Siccitatis excessus Senectutem cogit esse impotentem; id quod etiam, si quid aliud, morbi ostendunt maximè. Quòd si igitur Animam Stirpium & Animalium prædictæ Qualitates tàm fortiter constringere possunt, nonne multò magis in simplici Substantiâ, qualis Elementorũ, quibus Pri-

bus Privationis solùm inest oppositio, ipsam vinculo sunt coërcituræ? Neque ob id tamen existimandum, earum ullam, per quam in rebus existunt, Animam, Substantiãquè, interimere posse, sed has, qualitates solùm contrarias interficere. Quanquam autem quatuor recensita Elementorum Corpora, suâpte naturâ, motu ferantur recto, & aliâ tamen insuper ratione moveri loco contingit, nempe de se, & in se invicem transformari. Ignis etenim, qui sub medio Cœlo, ubi summa

ipsius

ipsius celeritas est, gignitur, tàm versus dextram, quàm sinistram, Mundi plagam, à successore pulsus, procurrere cogitur, & continuè quidem, donec Polos attingens inibi subsistat, quasi fixus. Illìc locorum, ob lentum partis polaris motum, obtorpescit, terræq; instar delabitur. Econtrariò Terra, Solis & Astrorum Lumine affecta, in exhalationes resolvitur, ventis, pluviis, atq; aliis hisce, præbens materiam. Quin etiam Aqua, in meridiano districtu, Caliditatem propter, ibi vigentem, summam,

verti-

vertitur in aërem. At verò Aër, partim, succeßionis jure, transit in ignem, partim, ab insequente alio versus Polos propulsus, indeq; repulsam passus, Terræ spacia penetrans inania, vel maria, lacusquè, attingens, in aqueam transmutatur Substantiam, quæ gelu pressa, & densata frigore, tandem vel in terram, vel in aliud simile, quod ipsi inest, quippiam convertitur. Raptu itaq; Cæli, uti in gyrum Ignis ducitur, ità hic subjectum secùm vehit Aërem, veluti iste quoq; Aquam. Sed, præter hunc,

parti-

particularē quendam motum obtinet Aqua, qui Fluxus, & Refluxus Maris dicitur, Soliquè cum Lunæ motibus adſcribitur. Nam ſicuti noſtra corpora, ubi Motu, Igne, vel Sole, excalfacta ſunt, ideò, quòd vapores à calido attenuati, & ab intimis partibus ad exteriores extracti, intumeſcunt, & rurſùs, faceſſentibus cauſis, ſubſidunt, et detumeſcendo ad priorem ſtatum redeunt: Pari planè pacto Sol & Luna marinorum æſtuum auſpices evadunt. Supra Hemiſphærium enim noſtrum exorientes,

rientes, ex imis Aquæ partibus, ad earum superficiem, vapores eliciunt, atq; tùm maria, sensibiliter turgentia, intumescunt: rursùm verò, ad Meridiei punctum Astris his proficiscentibus, decrescunt illìc Aquæ, ob vaporum nimirum resolutionem. Luminaribus autem, ad angulum Occidentis concedentibus, idem evenit Hemisphærio inferiori; nam Aquæ increscunt; quæ vicißim, ubi ad Noctis mediæ punctum Sol pervenerit, similem ob causam, defervent; quod et pariter Aquæ conti-

nuitatem nobis designat. Quare sex horis augentur maria, totidem decrescunt, in utroque Hemisphe-rio. Si quid prætereà motui huic diversitatis inest, Lunæ, Humorum Dominæ, quòd non eodem semper loco, modo, oriatur, occidat, acceptum ferendum. Cæterùm nec Terra motu censenda vacua; quandoquidem partes ipsius nunc in montes extuberent, nunc mari immergantur invisibiles. Hoc ergo modo Elementa commota necessariò mutuam coguntur subire miscelam: Quorsùm acce-

dit et istud, quòd nulla ipsis superficies aut figura certa attributa sit, adeò ut eorum ne unicũ quidẽ sincerum, sed omnia potiùs remaneant denominata, non Ignis, videlicet, sed igneum, non Terra, sed Corpus terreum &c. Prætereà Mistionẽ patiũtur, quâ quodque eorum, & nomen, & apparentiam, perdit; cuius etiam species propè infinitas esse contingit. Est autem Mistio duorum, pluriumve, similium, vel dissimilium, aut utrorumque, in unum collectio. Fit similium, quæ rectiùs redintegratio dicti-

dictitaretur, quando aqua aquæ additur; Dißimilium, cùm vox acuta gravi jugitur; Vtrorumque, ubi aqua terræ permiſcetur. Similium miſtio ubi inſtituitur, totum cum partibus eiuſdem prorſùs Subſtantiæ ſtatuendum. Aquæ enim libræ ſi guttæ aliæ admiſcerentur duodecim, tota aqua idē foret, quod guttarum ſingulę; quod nullo pacto in Dißimilium miſtione eventurum, ubi haudquaquàm totum idem, ſibiq; ſimile. Quando verò ex utriſque conſtat miſtum, tùm totum idem

 eſt, &

est, & non idem. Quamobrem Materiâ Materiæ puræ mistâ similium fit mistio, Materiaq; pura tota pura est. Pariter Corpus simplex, simplici commistum, totum evadit simplex: quod & de Animâ sincerâ, sinceræ junctâ, judicium est. Atque sic ex his in medium adductis constat, in Elemētorum mistione totum idem et non idem esse miscentibus. Nam aliqua miscentia simila sunt, aliqua dißimilia. Similia, utputà, Materia prima, Corpus Simplex, & Anima. Dißimilia sunt ultimæ

differentiæ, Elementorum nempe virtutes, quas Qualitatum nomine expreßimus. In misto igitur ex Elementis Corpore, idem Corpus Materiave, ac eadem Anima, non aliter, ac si cum aquâ calidâ alia æquè calens foret confusa, ubi eadem aqua & eadem caliditas extaret: At sic Elementorum miscentium virtutes nequaquàm eædem sunt. Apparet hinc manifestè, quomodo in Misto Corpore Elementa corrupta & incorrupta degant. Corrupta insunt, quòd nullum eorum ostendi aut ratione

 colligi

colligi poßit, ſiquidem Subſtantia Miſti eadem diverſis virtutibus ſubiecta ſit. Inſunt posteà quoque non corrupta, quia permanentes Elementorum virtutes, quæ incorruptæ, oſtendi queunt. Nam in Subiecto Subſtantiâ eadē ſunt, ſolâq; tantum Quantitate variant. Cùm enim Elementa miſcentur, invicem, ob contrarietatem, quam obtinent, & agunt, & compatiuntur, ac ſingula in cæteris qualitates ſuis ſimiles gignit, non abſolutè tamen, ſed magis minùsq;, pro Paßionis ratione.

Eousque enim agunt & patiuntur, quousque tanta remaneat qualitas Agentis, quanta est genita in cæteris Paßis; atq; sic utraque fiat una, quæ longè minor est, quàm quæ fuerat in Agente. Exempli loco: Caliditas Ignis, agens in Terram, dùm miscetur, gignit caliditatem in Terrâ, & eodem momento Terra, agens in Ignem, in eo frigiditatem producit, qua debilitatur, quæ fuerat in Igne, caliditas, adeò ut debilis sit caliditas, quæ est in Terrâ; unde eadem evadit Ignis & Terræ, dùm mista sunt,

sta sunt, caliditas. Hoc igitur *pacto Elementorm nullum actu inest Misto, quod Misti Subiectum unum sit: Quatenùs autem aliquo modo Qualitates permanent, insunt quidem Elementa Misto, sed potentiâ tantùm.* Nam idem *Subiectum cum Caliditate et Siccitate, quæ reagendo & repatiendo resultarunt, est Ignis, & idem Subiectum cum Frigiditate & Humiditate est Aqua; non tamen simpliciter est Aqua aut Ignis in ullâ Misti parte. Quin &, si duæ, tres, aut etiam omnes Elementorum Mi-*

rum Mistiones adsint, unaq; facta sit ex his miscela, in hac Materia, Corpusq; idem, & Anima eadem, Materiæ servatrix, adfutura. Prætereà istud quoque animadvertendum. Elementa, cùm ità disiecta sint, et inter se specie, id est, Qualitatibus primis, differant, Mistionem quoque earum, quæ Temperatura vocatur, non miscentibus omnibus eandem esse, sed diversissimam, usqueadeò, ut quamplurimas Corporum species, etiam Substantiâ differentes constituant; quarum specierum sin-

gulis singulæ Temperaturæ sunt Formæ Substantiales; Et Temperaturæ, quæ citeriores, vel ulteriores, fuerint Substantialibus, singulis Accidentia sunt in eisdem Speciebus. Quare cùm tot sint Mistiones, Temperaturæve, tot etiam Principia constituendarum Specierum dari, omninò par erit. Qualitates igitur Primæ cùm sedecim enumeratæ sint, harum singulæ, si saltèm quaternis partibus, gradibus, vel differentiis consistant, omnes evadent, tãquam Principia, & Elementa,

numero

numero ſexaginta quatuor: Quę, ſi rurſùm, quantùm poſſunt, varié complicentur, coniugationes parient ferè innumerabiles multò, quàm ſint dictiones, quæ per complicationes viginti duarum literarum Latinorũ, aut viginti quatuor Græcorum, aut utrorumque, fiunt.

DE TEMPERATVRArum Munere, ſeu Facultate,

CAP. SEPTIMUM.

E*X ASSERTIS ITAque munus conſtat Tempera-*

turarum. Quæ enim à primis Qualitatibus, (intellige summis) in Elementis ligata persistebat Anima, à Temperamentis, (id est, à Qualitatibus contractis) solvitur. Hæc *libera, ad actus, muneraq; propria obeunda, sese erigit, quia ad integritatem reducta.* In *quo igitur Misto ad æqualitatem redactæ Qualitates sunt, in eo Animæ vires prodeunt illustriùs. Spectatur istud in* Homine, *qui inter Animantes temperatissimus.* Nam *huic Vegetatio inest; insunt sensus omnes;* Ratio *item &* Intel-*lectus.*

lectus. In Brutis verò perfectioribus cum Vegetatione iidem adsunt Sensus, & unà Rationis quædam particula: In aliis minùs perfectis Vegetatio, & quidam Sensus. Stirpibus autem Vegetatio concessa, Sensus negatus omnis. Tàm hisce singulis, pro majori ad Temperaturam accessu, recessuquè, plus, minusq; horum actuum competit. At verò non solùm in hujusmodi Temperaturis Anima, Substantiave Animæ prima solvitur, sed simùl ejus vis, veluti naturalis quædam Potentia,

quæ ex primo Corporis cum Animâ concursu orta, primum, propriumquè Animæ est instrumentum, vocaturq; Calor Naturalis. Is autem non Ignis, (talis enim potiùs ligaret Animam) neq; etiã illius calor, sed ante hunc; non itẽ Elementaris Qualitas, neque Lumen, sed Elementis & Lumine prior. Hujus beneficientiâ, quæ vivunt cuncta, vitalia alimentum attrahunt, illud conficiunt, nutriuntur, ac sustinentur, augescunt, procreant; inprimis animantes sensu afficiuntur, & moventur.

ventur. Et quantò perfectiora hæc fuerint opera, tantò vis & ſubſtantia huius Caloris adeſt uberior, qui Solis & Stellarum naturæ conſentaneus, cuius defluxu, illuminata & excalfacta, totius Vniverſi Entia, ad deſtinata ſibi munia peragenda, quaſi calcare, urgentur. Quapropter verè Stagirita, vitam calore contineri, ſcribit, & abſque hoc, neque Animalia, neq; Stirpes, vivere: Eum tamen, nec igneum, nec ab Igne dependere, convincit, quòd Ignis Animal nullum generet, aut foveat:

Quamobrem ipsi etiam non Frigus, ut Qualitatem contrariam, sed Caloris potiùs Privationem, quam Mortem appellat, opponit. Caloris huius congeniti & coætanei vim ne extremi quidem senii Frigiditas potest pervincere. Hoc vivunt Serpentes, quos persentiscimus frigidos: Hoc Mandragora & Papaver vivit. Et quanquam Sulphur, Arsenicum, ità ut urant, sint calidißima, tamen, quia hoc Calore vitali destituta, uti Inanimatorum genus cæterum, ignava jacent et torpentia.

Quin etiam demortui Animantis cadaver, quanquam Corporis figuram retineat, huius tamen, qui Animati fuerat, Caloris expers, illius tantùm Elementaris particeps alterius, illicò ſicuti rem, ità nomen amittit, donec paulò pòſt altero illo diſsipato calore putredo ſuccedat, et omnimoda Mixti diſſolutio oboriatur. Quamvis autem Animæ præſidio Elementa in Miſto retineantur, nihilominùs, ab externis Qualitatibus agentibus, ipſi, tàm damnum, quàm commodum, accerſitur. Nam quæ

Miſtum eò movent, ut magis temperetur, illiuſq; ſolvatur Anima, conferunt: Quæ verò Miſtum verſus ſimplex aliquod Elementum impellunt, quo ligetur Anima, damnum necemq; inferunt. Haſce *innumerabiles Miſtionis ſpecies dum eadem ſubit Materia & Anima, quid mirum, infinitas rerum Species produci? Neque tătùm ſic illæ numero includuntur, verùm Animæ ipſæ quoq; diviſionem incurrunt. Nam Anima eadem, variis Temperaturis ſociata, ab eis diſtribuitur, & ſic*

diſtincta

distincta transit in numerum, itaq; in varias, nobilitate, & ignobilitate, differentes, Animas; quæ ab actionum præstantiâ, frequentiâquè, æstimatur talis Anima, qualis Materia. Pro diversitate autem Temperaturæ, uti & aliâs dictum, modò perfectiores, modò imperfectiores, obit actiones; id quod in sexus, tùm ætatum, patet discrimine. Et quanquam hac ratione Anima una in diversis eadem sit, utcunque alia atq; alia appareat in aliis, non ob id tamen unum idemq; (quod Aphrodisæus

putabat

putabat) Animatum futurum; sed Animalibus, Stirpibus, Sublimibus, Subterraneis, innumerisq; horum Speciebus, eadem Materia, Corpusq; simplex uti est, sic una quoque Anima.

DE RERVM INFRAmundanarũ Serie, siue Substantiarum Generibus & Differentiis,

CAP. OCTAUUM.

IN *TANTO HOC RErum ac Specierum numero, est genus earum aliud, cujus ità vincta Anima est, ut actionem de se edat*

edat aliam nullam, præter Actum, & Materiæ in Naturâ continentiam. In alio rursùm ità Anima soluta cernitur, ut plurimæ per illam actiones expediantur: Ob id illud Inanimatorum; hoc Animatorum genus dictum est: Cui Stirpes subsunt, & Animalia, in quibus soluta Anima Nutritionis et Cognitionis Facultatibus sese explicat. Horum omne, quod Cognoscit, Nutritur quoque, sed non contrà: Deinde quæ Cognoscunt, habent et Sensum: Et sensum habentium quædã Loco moventur, quæ-

dam

dam non: Et quę Loco moventur, alia Ratione prædita sunt, alia Rationis expertia: Et ex Rationem habentibus, alia plurimùm Ratione pollent, alia parùm, ità ut, ubi Sensus sit, inibi eſse & Nutritionem, non contrà: Et ubi Loci mutatio, ibi & Sensum, non tamen è converso: Et ubi Ratio, illic et Loci mutatio, non convertibiliter: Denique, ubi plurimùm Rationis, illic & parùm, non contrà. Atq; hæc sunt munia, ad quæ paßim Anima egreditur, undiq; ob occurrentibus externis Speciebus evo-

bus evocatur. Quanquam autem hoc pacto ſolvatur Anima, tamen etiam ſecundum dictos gradus, quos Temperaturæ conſtituunt, Potentia permanet. Et primò quidem eorum ſolvitur Anima, ut alere ſolùm poßit; cui tùm obviàm Res ipſa potius, quàm Rerum Species, procedit, quæ Alimentum vocatur. Poſteà, ut ſentire valeat, permittitur; & tum ipſi Rerum Species, quæ Senſilia dicuntur, occurrunt. Demùm ità libera fit, ut ratiocinari poßit; tuncq; intrinſecùs jam ſunt, quæ

movent, ab iis tamen, quæ extrinsecùs, producta. Sunt enim omnis cognitionis initia Sensus. Ne verò Animæ muneribus, quæ divina & cœlestis Substantia est, suâ ruditate officerent ea, quæ ipsam præsertim intrinsecùs erant motura, duo constituta Media; quorum unum Rei Species est, et Imago, cuiusmodi lucidi Corporis Lumen; alterum vero, per quod, & in quo hæc Rei, Species vehitur, idq; Aër est, per quem feruntur Lumina.

DE NVTRICATIONE,

CAP. NONUM.

OMNE, *QUOD NUtritur, ſit Stirps, vel Animal, circa Alimentum vertitur: Et omne Alimentum, ad id, quod nutritur, refertur. Iſtud Movens & extrinſecum: Illud intrinſecum atq; Motum. Sed quale hîc futurum Medium? Ex eo ſanè, quòd Alimentum, partim ſimile, partim diſsimile ſit Nutrito, illud intelligitur, quoddam intereſse hiſce Medium, quod, ut non prorsùs ſimile, ſic non omninò ſit diſsimile. Sicuti enim in omni Senſu Species*

inter Rem & Senſorium media: Pariter quoque in Nutritione Alimentum ſemicoctum Medium iſtud exiſtit. Eſt itẽ Corpus quoddam ante Nutritionem, quod ſimiliter Nutrito & Alimento intervenit, qualiter inter Tactum & Tactile caro. Præterea duo momenta ſunt, unum in Alimento, alterum In eo, quod alitur, ſitum. Alimentum, quò habile ſit, potabile effici oportet: Tale autem Humidum, Tenue, Levequè eſt: atq; ſic, per venas tranſire, & variè figurari, poßibile. Iſtius-

modi in

modi in Stirpibus, vel vaporosum est, vel aqueum: In Animalibus verò lacteum, aut huic Facultate proximum. Exigitur *autem in Nutrito Alimenti desiderium, cui attractrix præest Potentia; cujus instrumenta in Stirpibus* Radices: *In Animalibus vero Venæ, à* Di*ßectoribus mesaraicæ indigitatæ. In primores autem* Radices *& Venas tractum potabile crudum est, &* Nu*triendo dißimile, itàquè diversum, ut inter utrumq; Corpus sit medium, quod talem Animæ solu-*

 tionem

tionem impetravit. Hoc modo Nutriendum & Medium idem & non idem existunt. Idem sunt, quia ex primâ Substantiâ animatâ & Temperaturâ constant: Non idem, siquidem intrinsecùs Substantia est animata prima, extrinsecùs Qualitas, vel ligans, vel laxans. His Totum nutritur, sed per primores & exteriores partes præparatio duntaxàt fit, & transitus, per interiores confectio demùm Nutrimenti plena. Medidium vero cum Nutriendo eo prorsùs connutritur pacto, quo

Medium cum Organo conſentit in Tactu. Radicis igitur, vel Venæ Corpus, quod Alimentum tangit, attingit autem per partes priores, Medium eſt, internis verò iſtud, quod propriè primùmq́; nutritur, Totum tamen ſimul nutritur. Interim autem Alimentum in prioribus Venis atq; Medio hærens coquitur, quæ Coctio mutatio eſt Temperaturæ propriæ, in Temperaturam Corporis, Radicis, Venæ, Parenchymatis, vel Oßis, fotu Caloris connati, & actione Temperaturæ Corporis, quod nutritur.

παρέγχυμα ἡ χύσις τοῦ αἵματος παρὰ τὰς φλέβας ἔνδον σώματος

Sed Alimentum, quò Nutrito efficiatur ſimilius, eum fertur ad locum, ubi coïtio, unioq́;, cum Animato celebratur impetuoſiùs; id quod contingit, quando Alimentum Nutriendo ſimile evaſit: Tunc enim unum fiunt, quæ ſimilia ſunt, propter unam Subſtantiam & Temperaturam emergentem. In hunc modum aßiduè attracto Alimento, non membra ſolùm omnia ſufficienter renutriuntur, ſed ad Tempus aliquod, ut magis perficiantur, augeſcunt, Potentiâ Animæ appoſitrice, propulſa-

pulſatriceque. Quemadmodùm in Aquæductibus poſteriores aquæ prioribus apponuntur, & has ſubinde propellunt. Quin inſuper ex ejusmodi Alimento ultimo, utiliq; quod ejusdem cum Animato Temperaturæ eſt, pullulant ſemina.

DE SENSATIONE, CAP. DECIMVM.

NVNC SENSVS MVnus explicandum, cuius item quatuor ſunt requiſita, Senſorium nempe, Medium, Species Rei, & Res effundens Speciem; quod modo quintuplici fieri deprehenditur,

Tangen-

Tangendo nimirùm, Guſtando, Olfaciendo, Audiendo, Videndoquè: Hoc tamen ordine, ut, ſi quis ex aliis ſit, Tactum eſſe oporteat; & , ſi Tactus ſit, non neceſſe aliorum aliquem adeſſe; Et ubi Auditus, Olfactus, aut Viſus inſit, inibi & Guſtus exigi præſentiam; non vice versâ. Conſtat hinc, Tactum Senſuum primum eſſe; cuius inſtrumentum nuncupatur Tactorium, quod equidem Corpus eſt Animatum, adeoq; ſolutum, ut Potentiâ tale ſit, qualia ſunt Tactilia, ipſum moventia. Sunt

autem

autem hæc primæ Qualitates, &c, quæ ab his dependent, secundæ, ut Caliditas, Frigiditas, & cæteræ à Rebus calidis & frigidis profusæ. Sed est & híc quoque, inter hasce Res moventes & Tactorium, quoddam Medium, quod Species materiales temperat, ne subitò & confertim attingant Animatum. Calida verò & frigida, et id genus, suâpte naturâ movent, quod attingunt, talia, qualia ipsa sunt, illud efficiendo, quæ affectio progenita evadit Tactile. Explicationis causâ: Calidum ipsum est

ipſum eſt Tactile : At Medium, quod iſtam affectionem primò excipit, ex moventibus Rebus compoſitum eſt, videlicet è quatuor Elementis, tàm æqualiter temperatis, ut neutra Qualitas alteram excedat. Proinde Medium illud ſimile eſt Tactorio, ſimulquè cum eo afficitur à movente Tactili; huius tamen differentiæ nomine, ut, quod Medium fuit in primo occurſu, Tactorium ſit in receſſu. Hoc enim cùm ſit Potentiâ omne Tactile, eo ipſo vacuum eſſe decet; id quod contingit beneficio primæ Subſtan-

Substantiæ animatæ, à Qualitatibus Elementorum solutæ, et cœlesti Substantiæ similimæ. Ad hęc æquè temperatum Medium est, in eoq;, uti in Tactorio, excessuum Qualitatum expers, soluta Anima; habetq; se res hîc perinde, atq; Nutritum cum suo Medio. Sunt verò in Animali duo potissimùm principia, unum Calidum, quod Cor, alterum, quod Frigidum, et Cerebrum dicitur, aut his proportionata. Ab utrisque germina quædam in Corpus totum explantantur, quorum operâ omnes

partes Animalis continuantur, è quarum etiam commiſtione, vel ſaltem viciniâ, gratiſsima reſultat temperies, per quam Anima ad præſens opus ſolvitur. Harum propaginum portiones, quæ membranoſæ utrinque exteriores, Tactorij Media ſunt; internæ autem propriè ipſius Tactus Organum. Quæ cùm utræque, dicto tamen ordine, ſimùl ſentiant, non, ut cæterorum Senſuum inſtrumenta, ſuum exactè ſpectari permittunt. Tactum Guſtus accedit proximè; parùmque ab ipſo differt, quorum vicini-

vicinitatem Sensuum Gustus quoque obiecta demonstrant: Sunt verò hæc Sapores, qui gustari nequirent, nisi per Aquæ Humiditatem offerrentur, quæ admodùm tactilis. Est & Gustatus Organum, Tactus quoddam instrumentum, et Gustabile, quiddam Tangibile. Gustus verò, Tactu ipso minùs Corporeus, ad ea extenditur, quæ Sentienti aliquantò sunt remotiora. Nam dùm ad Gustus Organum pertingunt Sapores, diffunduntur illicò in humorem huic Organo aßistentem, eoq; median-

te gustantur. Organum Sensus huius Lingua est cum Palato, aut quæ his officio respondent. Continent hæc primas Qualitates, non tantùm commixtas ac contemperatas, sed & cruditatū & combustionis expertes, quo modo symbolum Saporum omnium complectuntur; nam, quatenùs incoctionem seu cruditatem excludunt, consona sunt Saporibus, concomitantibus summam concoctionem certi alicuius Elementi; quatenùs verò recedunt ab omni combustione, sunt et apparent consona illis Sa-

illis Saporibus, qui certi alicuius Elementi ſummam combuſtionem conſequuntur. Atque hæc firmiſſimè aptantur Organis, quod Lingua & Palatum aſſiduè humectentur, & tepeſcant. Eſt Guſtatus inſtrumentum, ſiquidem Alimenta Corpus ingreſſura debebat diſcernere, in Ore, meatuum totius Corporis origine, veluti Oſtiarius, collocatum. Quæ verò in Corporis partibus ſingulis Alimenti diſcretio fit, & dulcoris electio, haud verè guſtatio eſt, ſed merus quidam Naturæ appetitus,

 Stirpi-

Stirpibus cum Animalibus communis. Sequitur Olfactus, qui itidem habet Olfactorium, Medium, & Olfactile, hoc est, Speciem Rei olentis. Res olens est, in cujus Humiditatem aqueam, vel aëream, agit sapida Substantia, veluti aqua, cui rosa incocta, ubi Paßio est à Paßo genita. Nam Humidum primò Paßum à Sicco abstulit Saporem, & Paßum à Sapore factum est Odorabile. Vnde idem ferè est, quid Tactile, quid Gustabile. Sapor enim quiddam Tactile est, & Odor est quidam

Sapor. Tactile est Materia Saporis, & Agens: Sapor Agens Odoris in Materiâ humidà. Sed eo differunt, quod Sapidum & Tactile attingendo Media moveant; Olfactile autem per Speciem priùs factam impellat Medium. Olfactorium sunt duo illi processus Cerebri, supra nervos Opticos prominentes, à figurâ, quam referunt, mamillares, seu papillares, dicti. Mediũ internum sunt partes harum exteriores, quod simùl cum Olfactorio est & sentit, quemadmodum de Tactu modò dictum.

 Citra

Citra hoc sunt & meatus promissi, qui Nares appellantur; hi pleni humore sunt, maximè in Homine, inter Animalia humidioris Cerebri; qui ideo Medium Olfactus externum, quòd primùm Species Odorabilis per hos incurrat, aut trahatur. Sensus huius excellentiâ Homo à plurimis Brutis vincitur, quæ ad pastum, & sui tutelam, hoc inprimis utuntur. Est huius Organum Ori, &, Saporum scrutatrici, Linguæ vicinum, quò geminis quasi Censoribus Alimenta dijudicarentur. Quemadmodum tres

dum tres hi Sensus, vitæ simpliciter gratiâ, Animali tributi, sic, commodioris vitæ, nempe disciplinæ causâ, reliqui duo, Auditus & Visus, Homini præsertim, à Naturâ concessi. Sunt in Audiendi operâ totidem, quot in aliis Sensibus, momenta; Auditorium, Medium, Audibilis Species, sive Res. Audibilis Res Sonus est, qui à duorũ solidorum Corporum validâ commissione eliditur. Medium partim externum, partim internum est. Externũm Aër, quem Sonatile ità afficit, quemadmodum Lumẽ, solia præ-

lia prætercurrens, viriditate tingit. Internum alius est quidam, qui Implantatus Aër dicitur. Audiendi instrumentum intra aurem latitat, ex variformibus meatibus, tribus oßiculis, duobus musculis, membranâ & nervo, constructum. Nunc ad *Visum; parcè enim hoc loco, & præsertim hosce, Sensus attrecto, quòd pleniùs de iis in edito Anatomico Opusculo disseruerim. Visus Sensile Lumen existit, aut, qui è Lumine,* Color. *Medium est Corpus perspicuum, idq; extra oculum, quàm in*

oculo.

oculo. Externum Aër, Aqua, aut Corpus etiã solidum diaphanum: Internum verò, qui in oculo est, humor Cristallinus. Instrumentum ipse Oculus. Est Visus ad vitæ commoda maximè necessarius, ac præterea ad disciplinarum inventionem dux certissimus; à quo, & penè solo, maximam rerum partem exploratam habemus. Sed Auditus ad excipiendam ab aliis artem, scientiam, sapientiam, accommodatior. Atque hæc de Sensibus; qui licèt numero quinque tantùm sint, multò apparent plures.

res. Verùm Sensu uno plura Sensibilia comprehenduntur. Sic axillarum titillatio, venereæ illecebræ, fames item, & sitis, à quibusdam Sensus peculiares æstimati, unico concluduntur Tactu.

DE NVTRIENTIS, Sententis, Et Generantis Potentiarum Animæ unitate, Diversitateque, Nec non Cælestium Sensu,

CAP. VNDECIMVM.

NVTRIENS ET SENtiens *Facultas una quædam videtur vis esse, & Potentia una; quòd Anima una sit, et Substantia*

ſtantia animata itidem una: Rurſùs, quia actionis terminus non unicus; aliud enim eſt nutrire, aliud tangere, aliud videre; unica non videtur horum eſſentia: Quocircà Potentia una & non una futura. Vna ab Animâ unâ, non una & varia à Temperaturâ. Hæc enim Corporis ſolvens Animam, ipſam multiplicat diverſitate operationum. Quid verò non, quæſo, hujus, vel circa unicam occurrit nutricationem? Adeſt hîc appetitrix Alimenti, electrix, attractrix, retentrix. con-

coctrix,

coctrix, discretrix, expultrix; quæ Animæ, et ipsius Potētiarum, multitudo à Corpore ortum ducit cum Temperaturâ. Hæc adeò solvit Animam, ut non solùm Sensilia propria, & communia, nominatis quinque Sensibus comprehendat, & dijudicet, sed etiam ad absolutiora officia attollatur. Nam una ipsa communi ratione circumscribit omnes comprehensiones particularium Sensuum, atque differentias inter eas sentit, cognoscit, & dijudicat; imò per idipsum memoriam facit & imaginationem;

omneq;

omneq́; iſtud agit per eandem Sub ſtantiam, diverſis licèt modis & rationibus. Nam ſicut Ignis, Corpus unum, tribus qualitatibus tria peragit: *Luce fulget & illuminat: Levitate celer aſcendit : Calore urit: Quæ* tres Facultates in qua-libet Ignis parte vigent, locoquè ſimul ſunt: *Pariter Animæ Sub-ſtantia, una eademq́;, tribus viribus officia exequitur tria:* Ratione, *tanquàm* Luce, *verum, bonumq́; à falſo, malove, diſcernit: Appetitu, quaſi* Levitate, *ad ea, quæ placent, proficiſcitur : Ani-*

 moſitas

mositas rursùs iracundiaq;, fervore, ceu Calore, quodam in ea vel consumenda, vel propellenda, quę ipsum à consecutione desiderii impedire videntur, effertur. Sed jam ad Cœlum. Cœlestia Corpora, cùm Animalia sint, sentiunt, atque Sensoria obtinent, sed non tàm ligata & soluta, uti hæc inferiora, sed ab omni opprimente Qualitate sunt libera. Sensorium quoque non aliud habent, quàm primam Animatam Substantiam, quæ Potentiâ talis, qualia Sensilia. Prætereà autem in Cœlestibus Gustus, Olfa-

Olfactus, & Auditus deficiunt: Et parùm quoque Tactus ipsis inest. Visu solo pollent plurimùm, quem, absque Medio, exercent tãtùm Lumine. Moveri autem à Sensilibus Cœlestia, vel hinc pateat, quòd ejusdem sint Speciei, cum infernâ Animatâ Substantiâ, à quâ affici manifestè cernuntur. Hoc pacto Luna *à Terræ umbrâ patitur, & non illuminatur, ubi Soli opponitur, nisi per illustrata Elementa. Insuper etiã mutuò transmissa lumina excipiunt Cœlestia. Atq; ex hisce videre est, quo*

modò Anima ab extimo Cœlo, usq; ad Terræ Centrũ, in Actione et Perfectione paulatim obscurata sit in Simplicibus Corporibus. Mentis enim imagine prædita Anima, è Materiâ primâ, Corpus primum, maximum & perfectissimum Animal, fabricata, quod hic Mundus est; qui, ut excellentiùs ageret, divisus est. Et quidem pars superior, Cœlum vocamus Octavum, Animal factum particulare, omnium absolutissimum, vastissimumquè. Idem in cæteris cùm præstare Anima illa adniteretur,

Orbes inferiores, & Animalia peperit, magnitudine & dignitate minora: quibus Motus aßcriptus multiplex, eorumq; Orbibus unica tantùm Stella, innumerarum vice, infixa. At quæ Elementaris nostra est regio, oppreßâ Animâ nimio plus viluit. Et quidem agente Cælo, per Motum & Lumen, facta est Mistio Elementorum, & hinc in Mistis Temperatura; in quâ paßim Anima soluta est ad Actus quosdam, in Stirpibus & Animalibus utriusq; Speciei infinitis, quorum Summa quædam
 Homo

Homo est, Cælestibus similes actiones edens plurimas. Sed quià à supernis Lationibus, quæ perpetuæ sunt, in Contrariis oboriuntur excessus, perseverans quoque est in hisce inferioribus Generatio & Corruptio, quibus exempta planè Cœlestium Substantia, quòd omnis Potentiæ expertia, & insuper excessus, defectusquè. Hæc præter, duo adhuc obvia sunt, unum Somnus & Vigilia, alterum Vita & Mors. Priora illa utraque infernis Animalibus; Supernis duntaxàt inest Vigilia: Posteriora ve-

ra verò Stirpibus & Animalibus; quorum Vita Animæ solutio est, qualiscunque, à Qualitatum vinculis: Mors autem ejusdem revinctio. Perstat illa ad Temperaturæ persistentiam: Mors continua singulis, nulli tamen ęterna. Nam post longißimum temporis excursum, quem Plato triginta, & insuper aliquot annorum millibus, determinare ausus est, removebitur, factâ iterum aliquâ secundum Naturam solutione, redintegratione. Est Somnus & Vigilia similiter solutio & ligatio

Animæ

Animæ; non tamen Somnus, uti Mors, cujus frater dicitur, tàm arcta constrictio: At plenaria solutio Vigilia est. Vtriusque Vita capax est; omnia verò Mors tollit. Quià igitur Vita cum Vigiliâ suavis; Mors contrà tristis et horrenda, plenâ curâ in id incumbendũ, ut vigilemus, &, quoad licet, vivamus. Istud favens nobis, cara parens Natura Cœlestia, solutioni animorum sublunarium dedita, imitari permisit, imò jussit Animantium quodque suo loco universalem causam adjuvare: Hinc ardor

ardor ille, indoctus quamvis, pertinax tamen, ineundi sese, &, Generationis beneficio, simile procreandi, progenitum tenerrimè diligendi, amatum acerrimè defendendi, & educandi. Sed subit fortaßis mirari, in Animalium Stirpiumquè tanto numero, Species existere non paucas, inutiles non tantùm, sed etiam noxias, quales sunt Sylvestribus Lupi, Domesticis Mures, vexatores Muscæ, Pulices, & id genus; deniq; pernicies Venena, venenataquè. Videntur isthæc equidem nobis ociosa, &

sa, & nihili; nequaquam tamen sunt aliàs opprobrio meritò Naturæ Autori futura. Quanquam enim molestiâ damnoquè afficiant, accidens istud est, nec nisi incautis, temerariisq́;, ab istis periculum. Eôdem spectat Naturale Rerum inter se Odium excogitatum. Nam quòd valentius insectatur debilius, Alimenti imperat necessitas. Sic Ovem Lupus necat, non quòd oderit, sed ut famem expleat. Ad quem finem Muscas venatur Aranea. Olus ad vites consitum avaritiâ suâ uvis subtrahit

trahit nutrimentum; quas sanè, ut Plautus loquitur, venter creat miserias. Sed revertamur ad Generationis conditionem, quæ certè Animalibus & Stirpibus non eadem omnibus. Alia enim parentum semente proveniunt; alia sponte prodeunt. Sic Homo ab Homine, à Ficu Ficus; non verò Pulex à Pulice; utroque verò modo Mures, Apes, Formicæ. Diversitatis huius causa est præstantia & vilitas Temperaturæ. Perfectioris Speciei principium, in Genitore tantùm, actu existente,

reperitur, extra quem non nisi quamplurimæ in Elementis & Astris circumstantiæ, perrarò admodùm concurrentes, requiruntur: quarum cùm pauciores exigantur in Temperaturis humilioribus, absq; parentis munere progignuntur. Anima enim, sibi semper similis, omnibus præsens est, nec ulli vitam negat: Quæ verò spectatur varietas, à facili, difficiliquè, Qualitatum temperaturâ, et renitentiâ proficiscitur. Spectatur id in Vermibus, qui generantur in caseo, carne, animalium in-

lium inteſtinis, muſcarum ven-tre, tùm & in pleriſque aliis, qui-bus idem propemodùm Tempera-mentum. Apum verò genitrix vis, & in ſemine, & extra hoc conſiſtit, ſiquidem ex defoſſo quo-que juvenco plaſmantur; quæ res non tàm facilis eſt & obviæ Tem-peraturæ. Exiſtimatum hinc for-tè à quibuſdam, ſimili pacto & Hominem, abſque concubitu, pro-ductibilem, ſi tàm exacta, & ſibi par, contingeret alicubi Tempera-tura: Id quod fortaſſe uſu venit Ægyptiis, Mortalium primos ſeſe

jactantibus, & veluti fungos è Terrâ prognatos. Vbivis equidem minoris precii Animalcula et Stirpes inseminata erūpere cernimus. Sic gignuntur Ranunculi in Aëre, in nive & sale Vermiculi, vino, cerâ, in carne denique vivâ, quales sunt pediculi subcutanei, & quorundam ulcerum. Sic & Stirpes variæ diversis in locis citra culturam germinant. Refert Theophrastus, in agro Cyrenaïco, tantam aliquando cecidisse pluviam, ut ingens inde sylva, nunquam antehàc visa, excreverit; quod

verit ; quod non præcurrentibus seminibus, sed factâ Temperaturâ, ad varias Stirpes aptâ, à præsente in illâ Materiâ Animâ, evenit. Temperatura igitur quorum eadem, Materia item & Anima, eorum & eadem quoque Accidentia. Atque hinc, quæ ejusdem Speciei sunt, maximè omnium sibi sunt similia, veluti Homo Homini, Canis Cani, Lapis Lapidi, & in qualibet Specie Sexus Sexui. Temperamenti huius signãdi vis, aut imbecillitas, in partu, potissimùm humano, pulchrè elucet. Hîc

enim errore quodam infirma si sit, Monstrum nascitur, quod Generis tantùm imagine insignitum, nempe Animalis. Sin rectè se habeat, Homo *prodit perfectus,* Speciei *signatus imagine, nimirùm* Hominis. *Denique si* Individui *vis potens soboles alterutrius parentis refert, & eius, cuius fuerit potior. Verùm, de his omnibus, pluribus in nostro, de Fætu Humano, Tractatu.*

DE INTELLECTV, siue Mente,

CAP. DUODECIMVM.

QVANQVAM AVtem ità sese hæc habeant, & Anima, à Mente mota, cum Corpore sit & agat, adeò ut nulla illius pura putaq; sit actio, sed unaquæque corporeâ quasi sorde polluta: Attamen in Homine, deprehenditur vis quædam alia sublimior, quam Intellectum, Mentemve, dixit Aristoteles. Hanc non connasci, sed extrinsecùs advenire, eo convincitur, quòd omnis Animæ actio, quæ corporeo obitur organo, continuò huic adhærescat:

Intellectus verò operationem persentisci Corporis expertem: Fit enim Hic omnia. Quod autem tale, ab Omni, & sic quoq; à Corpore, separatum eße oportet. Versatur Is circa universalia, veluti & Anima ipsa; sed diversâ tamen ratione illud capit. Anima, causâ exempli, Animalitatem tãtùm in Subiecto, & in notione huius Subiecti, veluti Hominem in Socrate, cognoscit. Intellectus autem, & modo hoc, & absque, id est, simpliciter intelligit: Vnde absolutissima ipsius vis, minimèque cor-

què corporea, demonstratur. Præter hæc, Accidentium quoque & Substantiarum notiones omnes, tàm universales, quàm particulares, æquè, ut Anima, mistas excipit: & insuper idem solus illa distinguit, rursumq; componit, alterum de altero prædicans, & alterum de altero negans; id quod Actus Corporis, & in Corpore, nequit. Ad hæc autem præstanda Intellectus Notitiis *indiguit: quare* Potentia *esse debuit: Et, quia omnium susceptor futurus, purissima extitit: Unde etiam* Intellectus Po-

ctus Potentiâ sive Poßibilis nomen accepit. Hoc sanè fine Aristoteles Animam tabulæ rasæ sive lęvigatæ comparavit, cui nil figurarum inscriptum, sed infinitæ inibi picturæ imprimi possint: quæ quidem non lævor sed super tabellæ lævorem. Est etenim pictura res alia, quàm tabella, & ipsius lævor; & proinde naturâ distincta, eâ tamen, quâ illi adhæret, ratione non prorsùs separata; id quod & planè Intellectui Possibili contingit, qui licèt Potentiæ receptrici figurarum tabellæ persimilis

milis

milis sit, non tamen, veluti illa aptitudo, Qualitas est, sed omninò, quia cuncta intelligat, Substantia; quod haud in ullam cadit Qualitatem. Sed esto istud, quòd necesse sit, uti & est, ut Notiones excipiantur ab Animâ sentiente, imaginanteque, sintq; illæ Rerum Species, *quarum simulacra non persistant sine subjectâ Animâ, sicut nec sine speculo imago faciei, sequetur protinùs,* Intel*lectum, quò talium particeps fiat* Notionum, *Animæ in conjugem dandum.* N*isi enim* I*ntellectus jungeretur*

jungeretur Animę, nūquam ab eo ad Animam penetrarēt illius For*mæ notæ, quas ars exprimit. Veluti igitur per Animam transeunt Species externarum rerum ad In*tellectum Potentiâ *: Ità per eandem jußa & notæ descendunt ad membra, & externa ea Corpora, quæ ad opus aliquod moliendum incitantur. Sic oculi & manus Statuarii, ab Intellectu per Animam mota, illam effingunt statuam, qualis antè fuerat in Intellectu. Quemadmodum igitur Anima, quæ actus est Corporis, ad illius*

illius partitionem secatur: Sic quoq; unà, ob huius commercium, Intellectus. Vt enim alia mea à Socini Arrioapostoli Anima, (quãquam utraque pars unius sit) sic & dispar Intellectus. Imò quod nunc ego intelligo, id non singuli, uti & ego vicissim non, quod illi. Divisus itaque Intellectus, meus alius, alius item aliorum, qui aliàs unus et idem si eßet, una quoque foret Potentia, unusquè Sensus; atque sic aliquid me intelligente, Intellectus continuò existeret actu & in aliis, non autem po-

tentiâ; unde idem intelligeremus omnes; quod siquidem non evenit, totq; sint, quot capita, sensus, necessariò admittenda divisio.
Etiamsi autem Intellectus Possibilis, uti statutum, Animæ adhæreat, non in omnibus tamen solutam Animã habentibus apparet. In Stirpibus sensus illius nullus; in perpaucis autem Animalibus advertitur satis obscurus; solo in homine deprehenditur clarissimus; quod Temperaturæ præstantiâ, in quâ Anima magis soluta, provenit; habetq; se perinde ac acies, quæ in

quæ in ferri angulo exactior, in ligno & marmore longè obtusior. Quin imò in Homine ipso magis minùsquè Intellectus vis sese prodit; neque in diversis tantùm, sed & in unoquoque & eodem; in adolescente magis, quàm cùm infans fuerat; & in sano, quàm ægrotante. Quoniam igitur Intellectus iste semper cum Animâ versatur, cum eâ dividitur, cum eâ agit, Hominem & Animal constituit, illius certè pars futurus; & sic compositum ex ambobus unũ; cuius pars altera, quâ cognoscit et

 ratioci-

ratiocinatur Anima, Intellectus est; altera bruta prorsùs, & omni Ratione vacua. Porrò assertum cùm sit, Intellectum Potentiâ talem esse, qualia sunt omnia, suscipiendoq; Rerum omnium Species ità moveri, ut actu fiat; nulla autem Potentia ex se ad actum, sed per aliud potiùs, quod actu sit, deveniat; profectò Intellectum alium actu existere oportebit, quò is, qui Potentiâ est, actu fiat. Quo enim pacto à Lumine (Colores potentiâ, actu efficiuntur tales, et Visus potentiâ actu fit Visus, à Visili, Lumineq;:

mineque: Ità prorsùs Intellectus Potentiâ, ab alio, qui instar Luminis se habet, Intellectu, fit actu, tùm ab Intellectili actu, sicq; intelligit Intellectile actu, quemadmodum Visus Visile cernit actu. Intellectile autem Potentiâ, actu fieri, est, Imaginationem ab Agente adeò collustrari, ut moveat, ipsique similem Intellectum efficiat, lucendo, quasi universalis foret, cùm aliàs tantùm sit particularis. Nam Vniversale colligere, & Vniversale Potentiâ, actu præstare, est illustrare plures imaginatione, ità,

ne, ità, ut eis appareat idem; idq; moveat Intellectū. Eapropter Vniversale actu fieri propriè nequit, nisi in pluribus: Vnde Vniversale extra Animam in Naturâ dari necesse est. Porrò hîc advertendum, Intellectum Agentem non intelligere hos, quos actu facit; uti qui actu fit Intellectus intelligit Agentem. Non enim, quia Visus intuetur Lumen, Hoc rursus videt Visum: Sed sicut Intellectus Potentiâ cupit fieri omnia, ità Agens jamdudùm ex omnibus evasit unus. Sunt Intellectibilia actu

unà cum

unà cum Intellectu, quorum actus et actuum sociatio, Intellectus Speculativus, Scientia, & Sapientia, nuncupatur; si putà huiusmodi Intellectibilia fuerint necessaria; sin verò contingentia, Intellectus huiusmodi Peritia vel Opinio dicitur: Estq; activus in affectionibus, et effectivus in artibus. Idem Intellectus uti in nobis potentiâ est: sic in Cœlo semper actu: Nam actus ipsius, qui Intellectus Agens, per Lumen; Hoc vero actu efficit, quod in aperto, non autem obscuro est. Qua de causâ in Cœlo

Intellectus Potentiâ ſemper exiſtit actu, quòd nullum ibi impedimẽtum; contrà in his infernis, quòd ligatus unà cum Animâ, nunquam actu, donec cum Eâ exactè ſolvatur. Ob Materiæ ruditatem, in primordio ætatis noſtræ, Intellectus Potentiâ ab Agente colluſtrari impos, ſicuti lumen Solis diluculo illuminare eum aërem nequit, qui in convallibus, campeſtribuſq; locis, caliginoſus ſummè & nubiloſus. Non exiſtimandum autem, Intellectum Agentem, primam illam Subſtantiam eſſe, quæ

DEVS

DEVS *ipſe; ſed veluti Lumen, Lucentis quædam actio, uti Solis, dies; Sic Intellectum Agentem Subſtantiæ primæ atq; DEi fulgorem eſſe, non Accidens, ſed Subſtantiam intelligentem; quæ primò propriéq; Intellectus dicitur Agens. Intellectus autem Potentiâ ſiquidem attingit Animam, & cum Eâ conſiſtit, Ipſâ cum diviſionem quoque ſubit. At Intellectus Agens, primæ Subſtantiæ adhærens, ab Eâ excurrens, indiviſus, et indiviſibilis, non aliter ac Lumen à Lucido emanat: Ineſt tamen*

Intelle-

Intellectui Potentiâ, dum ipsum è Potentiâ in Actum producit, in Eoq; conservat. Et hic Intellectus Potentiâ, cum Animâ, & optimâ Temperaturâ, Forma quędā Hominis est, nequaquā verò alter ille Agens. Sed controverti hoc loco solet, Sitne Animatorum Forma una Substantia, an multiplex. Plures equidem in Homine comperiuntur. Nam inest Substantia, quæ Actus primus Corporis, dicta propriè Anima; inest Substantia, quæ Imago mentis, &, præter hasce, Intellectus, qui Potentia vocita-

vocitatur. Verùm numerus hic Substātiarum facile ad unitatem redigitur. Vnum sunt per Materiam, & Formam. Anima est Materia Imaginis, ex quibus quod componitur, una evadit Substantia, quę Natura dicitur: Et utręq; hę, vel potiùs Natura dicas, est Materia Intellectus, & ad Intellectum; maximè cùm is actu præsto est. Ex quibus sanè in unum collectis plura emergunt, & propria munera; veluti ab Animâ sentire; ab Imagine dirigere, ab utrisque generare & movere; ab In-

ab Intellectu intelligere, & ratiocinari. Neque tamē Anima intelligit, nec Intellectus sentit, nec Imago ratiocinatur : Sed Intellectus intelligit inferiora hæc munia omnia; quoniam sit omnia; cui ità insunt Substantiæ reliquæ, uti Pentagono Trigoni : Quanquam & Anima, per æqualitatem Temperaturæ, eiusdem Intelligentiæ particeps videtur. Dùm enim in Cœlo est, ità sese exactè habet, ob divini Intellectus Agentis, & Luminis æterni præsentiam, quâ non solùm hunc ipsum et Deum *in-*

UM *intelligit, verùm etiam ipsius imagine insignitur: At in infernis, angustiâ regionis, & affectibus, qui successêre, obscurata nimiùm, omnem videtur amisisse gratiam, adeò ut lateat, donec, per commoditatẽ Temperaturæ, paulatim revocata, summæ illi similis efficiatur. Atque hæc Mentis socia, cùm Hominum, etiam illorum, qui Dii sibi videntur, omnium, ævum breve sit & fragile, sola interitus expers perstat immortalis, neque tàm naturâ sui, quàm voluntate DEI, cuius*

unius nutu & potentiâ, nullâ Intelligentiarum aut Deunculorum adiutus ope, sunt & reguntur cuncta. Immobilis enim ipse, simplici motu primi Cœli, Virtutem tribuit in succedentia, et ab illis rursùm in longinquiora, donec penetrarit ad singula; quo pacto aliud ab alio impulsum movetur ordine, munus suum exequens, viâ licet variâ, cuique tamen privatâ, nonnullis etiam contrariâ, à primo Motu sic incitatâ. Vbi sanè res perinde habet, ac si quis è vase simùl Pilam, Cubum, Conum, & Cy-

& Cylindrum jaceret, & unumquodque in Figuræ suæ motum se daret. Ità planè in hoc Vniverso. Vno illo Cœli circumactu (Diurnum vocant Motum) reliquorum etiam Orbium commotio peragitur, proq; Spacii diversitate cuiq; singularis. Luna, aliquoties mutatâ facie, curriculum suum menstruo expedit: Sol anno absolvit: Cui æquales Venus et Mercurius: Mars spacio temporis duplicato: Iupiter sex istius: Saturnus duplo & dimidio, quàm prior, temporis mensu iter suum conficit. Ex

quorum concentu omnium Harmonia una, ab uno incipiens, in unumq; desinens, resultat, Coripheo & Præcentore DEO, quo jubente & impellente, quanquam modo invisibili & abscondito, certissimâ tamen ratione, cunctis bona sua obveniunt. Atque hinc jam olim Gentilium illa vox profecta, DEI OMNIA PLENA: *Quod quidem congruentiùs de divinâ ipsius potestate, quàm substantiâ, pronunciatum accipiendum; cuius Virtus non tàm infixa, quàm toti Mundo plenissimè*

infusa sentitur. Estquè fama hæc antiquissima, et patria, non solùm Hebræis, Chaldæis, Ægyptiis, sed & Græcis ipsis nota, à DEO *nata, facta, dataquè Hominibus omnia; quam confessionem quoque à nobis Natura extorquet ipsa, ut* DEUM καὶ αὐτοσοφὸν, καὶ αὐτοαγαθὸν, καὶ αὐτοκρατερὸν, *cum Priscis illis, verè Sapientibus, invocemus et celebremus.*

FINIS.

IOHAN: IESSENII à IESsen, Ad Studiosos Philosophiæ, Programma.

NATVRA PRINCIPIO hominem condidit geminum, primum carneum produxit, secundum verò spiritalem rebus omnibus inseruit, ac, per totum Vniuersum, unicuiq; rei ipsius aliquid infundens, dispersit, è quibus spiritalis ille homo alter conflatur, primi tamen illius hominis industriâ et artificio. Et quemadmodum primus homo Naturæ potestate & actione nascitur; sic alter nostrâ voluntate & facultate perficitur: ille à Naturâ actu subsistit; hic verò potentiâ à Naturâ, actu ab Arte. Primus secundi hypostasis; primi autem secundus forma atque perfectio. Atque circa hunc solùm felicitas, sapientia, ipsaq; adeò beatitudo consistit. Ob primũ hominem nemo, vel laudatur, vel vituperatur; sed secundo laus sua est, &, ob ipsius

ipsius defectum, certum vituperium. Perfectus itaque homo nullus, nisi sapiens; quandoquidem sapientia isthaec mẽtis, seu hominis alterius praestantioris, perfectio. Nam licet principiò è Cœlo in Terram delabatur, & seipsum amittat homo; multo tamen discursu multâq; factâ disquisitione, tandem uniuerso peragrato orbe, seipsum reperit, sibiquemetipsi occurrens iterum jungitur, fitq; suiipsius capax & possessor. Hujusmodi semetipsũ parit, praestat geminum & felicem, qui à Naturâ debiti compellatus, quod ab ipsâ mutuum acceperat, carneum nempe, lubens restituit, eoq; moritur; altero, quod ex se actione suâ genuerat, sibiq; proprio, apud se immutabili, quo semper viuit, seruato. At solitarius ille carneus homo, Naturae, Terraeq; filius, qui nondum ex seipso, sibi similem rationalem hominem genuit, sterilis, simplexq; homo est, imperfectus, infelix, qui Naturae carne redditâ

totus illicò moritur, nullâ amplius sui parte viuens. Cùm igitur perfectionem naturaliter cuncta appetant, & huius vias studiosè sectentur, homonè, qui, ad imaginē Dei conditus, tantò cæteris creaturis excellentior, quantò hoc bruta inferiora, socors atque deses, muneris sui & officii immemor, & contemptor beatitudinis, non curaturus, aut saltem non cogitaturus ea, quæ ad salutem faciant, quæ ex hoc ignobilitatis cœno extollant, quæ dignitatis participem efficiant? Est verò beatitudo hæc, quod gentilis Plato dudùm didicerat, hominis cum Deo amicitia & conjunctio. At, uti Sapiens habet, Deus in consortium admittit neminem, nisi cui cum Sapientiâ sit commercium. Sapientia igitur, cùm vapor sit virtutis Dei, ut idem inquit, ipsius speculum, & æternæ lucis splendor, hanc quis non desiderabit, quando ipsius initium cupiditas sit? Proinde Sapiens, ex altâ quasi

turri,

turri omnes acclamans, Expetite, *inquit*, & desiderate eruditionem, & consequimini. Præclara enim est, & nunquam marcescit Sapientia; facilè percipitur ab iis, qui eam diligunt, & inuenitur ab iis, qui illam quærunt, anteuertens sui studiosis sese offert cognoscendam. *Quin & multum inesse Sapientiæ boni, exemplo ostendit proprio, dum scribit:* Supra sanitatem, & formæ pulchritudinem, dilexi illam, eamq; malui, quàm luce frui. Accesserunt autem bona mihi simùl cum eâ omnia, diuitiæque per manus illius innumerabiles. *Et pergit:* Sapientum multitudo mundi salus est, & Rex prudens stabilimentum populi. *Insuper, quo omni conatu ad disciplinam homines exhortetur, eamq; persuadeat, Sapientiæ contemptores miseros esse affirmat, spem illorum vanam, labores infrugiferos, inutilem operam, eorum conjuges*

stolidas,

ſtolidas, improbos liberos, et execrabilem progeniem. Cumq́, noſſet, ad mores & ingenium principum ſubditos ſe plerumque componere, qui ſoliis ſceptriſq́, delectantur, ſic tandem alloquitur: Honorate Sapientiam Reges populorum, & diligite lumen Sapientiæ, qui præeſtis populis. *Hac voce excitatus quoque Illuſtriſsimus Princeps, & Saxoniæ Elector, FRIDERICVS III. diuinarum humanarumq́, rerum meditationi tàm ſtudiosè deditus, ut, ob maximũ in iis profectum, Sapientis nomen indeptus ſit, apud poſteros perpetuum, qui etiam hoc ipſo in loco, ante annos jam propè centum, ex Martini Pollichii Mellerſtadii, ſummi Philoſophi & Medici, ſui Conſiliarii, ſuaſu, literarum bonarum emporium aperuit: in quo Sapientiæ regulæ, merx precioſiſsima, labore & induſtriâ diſcentibus venirent. Sapientiæ verò nomine cum Salomone Dei notitiam in-*

tiam in-

tiam intelligo. Nam *quibus Dei inest ignoratio, eos stultos censet ille homines, ut qui, ex hisce, quæ spectantur, bonis, eum, qui horum autor est, non potuerint intelligere, neque ex operibus consideratis ipsum Opificem agnoscere. Quò & Diui Pauli inclinat sententia. Idcircò enim homo erectâ, & non, veluti bruta, inflexâ facie creatus, inq; Vniuersi medio, quasi oculus quidam, collocatus, circa quem mundus, tanquam speculum quoddam, ut nihil hunc lateat intuentem, voluitur. Inde Salomon,* Dedit mihi Deus, *inquit,* eorum, quæ sunt in Naturâ, veram cognitionem, ut mundi constitutionem, vimq; Elementorum intelligam, initium, exitum, mediumq; temporum, Solstitiorum vicissitudinem, ac tempestatum varietatem, annorum circuitus ac situs stellarum, naturas animalium, ventorum vim, differentias plantarum, radicumq; faculta-

cultates; deniq; omnia, quæ sunt aperta & recondita, cognoui. *Sed frustrà aliò nostri conuertuntur oculi, nisi & iisdē se contueatur homo, secumq; habitet. Habet namque homo & mundus eam inter se cognationem & viciniam, ut sub solà maioris minorisq; differentià nuncupentur, homo inquam, minor mundus, mundus verò, major homo, ità ut homo alter quidam mundus sit, & mundus alter quidam homo. Profectò natiuitatis suæ primordia, adeóque seipsum, meditatus est Salomon, cùm scripsit:* In utero matris meæ carneus, decem mensium tempore, formatus, in sanguinē coagulatus ex viri semine. *Huiusmodi hominis cōtemplationem toties iam, totque annis, per Dei veniam, et Heroum Saxoniæ clementiam, hîc locorum, ad studiosam iuvētutem, fidelem institui et verè vivam: Nunc verò totius Vniversi summam, in manipulum quasi redactam, vobis, bonæ mei memoriæ caussà, exhibiturus, singulari tractationis genere, & metaphysico, DE ANIMA ET CORPORE, dissserturus, totumq; hoc Vniversum, non ferri, sed mentis acie, in partes, ingenii ocellis spectandas, dissecturus sum. P. P. VVitebergæ, Die 18. Iulij Anno. 1602.*



